MELEAGER.

Tragœdia noua.

BIS PVBLICE ACTA IN
ÆDE CHRISTI
Oxoniæ.

OXONIÆ.
Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS.
1592.

B.N.C.
F.MADAN
OXFORD

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO HEROI, ROBERTO ESSEXIAE Comiti, aureæ Periſcelidis ſodali, *equorumq; regiorum Magiſtro*, fœlix fauſtumq; nouī anni auſpicium precatur.

Annus iam penè vndecimus agitur, Nobiliſsime Comes, ex quo Meleager primùm, octauus ex quo iterum in Scenā vēnit, ac primùm quidē volens, ac ſponte ſuâ; triennio poſt, inuitatus, publiceq; euocatus, ſecundùm prodiit; aſsidentibus, ac ſpectantibus clariſsimis Comitibus, Penbrochienſi, ac Leceſtrenſi, Cancellario tum noſtro, vnà cum nobiliſsimo Philippo Sidnæo, nonnulliſq; illuſtribus Aulicis. Quâ tum approbatione acceptus ſit, nec iam memini, nec magni vnquam feci; ſatis ad laudem Meleagro fuit, ſi qua tamen ea laus ſit, quòd politiſsimarum aurium diſcrimen bis ſubierit, nullo ſanè inſignis faſtidii dehoneſtamento. Ecce iam tertium exit, non quidem in Scenam, ſed in lucem, id eſt conſpectum tuum; tantò iam maius periculum aditurus, quantò lucis, quàm Scenæ, ſolis, quàm tædarum, oculorū, quàm aurium, longè grauius eſt iudicium, Atq;

ille quidem diu ſpretus, ac penè pro expoſititio habitus, vix nomen, nedum charitatem filii, apud me obtinebat; erga quem, neſcio quo pacto, iniquiore ſemper animo fui, atq; alieniore. Sed cùm primogenitus meus eſſet Meleager, multiq; ſæpe ſuaderent, enutriendum potiùs puerum, quàm tineis blattiſq; eſcam relinquendum, atque ipſi etiam clam me, ſed mendoſè ac perperam educarẽt, pueriq; indolem apud me laudare non deſiſterent, miſertus ſum, fateor, tandem prolis meæ, cæpiq; paulatim eius non pudere, quemadmodum adoleſcens genui. Vereor ne vel a puero ſuſceptus, vel puerili potiùs more panniculis efformatus, quàm verus fætus videatur. Cùm itaq; hoc quicquid quod genueram, decreuiſſem tollere, ac pro meo palam habere, cæpi mecum cogitare, cuius mihi in primis gratiam è potentioribus conciliarem, quem ſectaretur, cuiuſq; præſidio nixus Meleager, non ſolùm innoteſceret, ſed etiam viueret. Ex omnibus, ſola mihi amplitudo tua ſatisfecit clariſsime Roberte, cùm pro illâ excellenti fa mâ, quæ de illuſtri tuâ familiâ, humanitate, magnificentiâ, ingenio, literis, magnitudine animi ſcientiâ militari, omniq; virtute heroicâ domi foriſq; excitata eſt; tum pro illâ dulciſsimâ conſuetudine, quæ mihi cum generoſiſsimo fratre tuo Gualtero, Oxoniæ agente, interceſsit, qui ille me complecti dignatus eſt, ego illum quoad vixit colui, defunctumq; memoriâ colam ſem-

sempiternâ. Cuius immaturo, supraque Sidnæi fatum miserando interitu, & Respublica fortissimo iuuene, & tu florentissimo, ac suauissimo fratre, & ego nobilissimo amico ac præsidio orbatus sum. Sed parcam oculis tuis, non solùm dolori meo. Quocirca, illustrissime Domine, pusionem tibi hunc meum duodecim annos natũ, & animi in te mei testẽ, & noui anni munusculũ trado, consecroq;, tuiq; eum iuris, ac potestatis totũ facio. Quem, humlime peto, vt in tantâ hodie strenarũ magnificentiâ, nõ solũ aspicere velis, sed etiam in tuorum numerum recipere digneris. Qui, vt nullâ aliâ re, certè fide, atque obseruantiâ cõmendatus ad te veniet; tuo enim famulatu Meleagrum victurum, moriturumq; promitto, ac spõdeo.

Vale, Ex Æde Christi Oxoniæ, Calendis Ianuarij, M. D. XCII.

Honoris tui studiosissimus,

GVILIELMVS GAGERVS.

RICHARDVS EDES THEO. D.
AEdisq; Christi P. in Meleagrum
Guil. G.

QVI Meleager erat multorum cura dierum,
In multos annos non sine laude tibi;
Fallor? an & Musæ fortunam fecit eandem,
Quam miserè fertur sustinuisse, tuæ?
Scilicet vnius penè expirauit ad horæ
Lumen, ad ardentem sicut & ille facem.
Nunc Musæ, & pariter Meleagro consulis, illis
Dum lux extinctis non peritura redit.

Del S. Alberico Gentile.

TE, che materno sdegno, infesto nume,
Nobil campione, anciso, e quelle mani,
Che te rapiro a fiamme horrende, immani:
Onde qui aggiungi a riuedere il lume?
Accio è quiui? od' è ver, ch' il tristo fiume
Varcasti anchora, e là tanto rimani
Infra d' ombre volanti, e corpi vani,
Ch' il mio Guiglielmo te rauuiui, e allumi.
Nascesti per morire a vn punto, e poi
Moristi di crudele, & empia morte:
E rinasci, e dinuouo mori. ahi fato.
Ma godi. Si questi hor eo versi suoi
T' assicura vn vigor viuaci, e forte,
Che non hai da temere il mondo irato.

I.C.

I. C. salutem dicit amicissimo suo Guil. G.

NOn tibi nequicquã, Gagere, Tragœdia cordi est
Cui cor fortunæ tot pupigere mala.
Res sit digna viro licet ipsa Tragœdia docto,
Illa tamen curâ te propiore tenet.
Scilicet vt verum planxit Polus histrio natum,
Electram Sophoclis cúm simulatam ageret:
Sic tua deploras alieno fata cothurno,
Veraq; mentito nomine damna gemis.
Sic proprium absumis sub ficto mitamine luctum,
Dumq; videtur agi fabula, res agitur.
Iam quoq; quod promis, carmen fatale putârim,
Miré argumento conueniente tibi.
Nomine quám propé te Meleager, & omine tangit?
Quám propé nomen habes, tã propé & omẽ habes.
Praua suorum illi, nocuit tibi praua tuorum
Inuidia, & spreti sanguinis improbitas.
Tu magis, immeritò, & iuuenes periisti vteró;
Vtriq; exitium fœmina dira tulit.
Expulit illi animam mater, tibi, quám propé mater?
Viuendi causas abstulit, atq; animam.
Occultis perit ille odiis, tu clam periisti;
Ille veneficiis, carminibusq; iacet;
Tuq; veneficio muliebri, fraude, doloq;
Artibus, insidijs, malitiâq; iaces.
Vita etenim non est sine rebus viuere vitæ,
Illi vita perit, cui perimuntur opes.
Salua tamen res est, forsan viuetis vterq;
Carmine non magico, carmine sed tragico.

Ad lectorem Academicum.

Quē nocturna olim spectasti ad lumina, Lector,
Quiq; bis applausum, te tribuente, tulit,
Luce tibi clarâ Meleagrum sisto legendum,
Et nudum mediâ conspicuumq; die.
Quàm differre procul spectatis lecta putabis?
Et fucum fecit larua lucerna mihi,
Vixq; idem est, dices, Meleager, qui fuit ante,
Et te damnabis, iudiciumq; vetus.
Et tamen est idem; forsan mutatus ab annis,
Spectasti infantem, iam puer esse potest.

ANtiquissima est hæc fabula, & ad ea tempora refertur, quæ expeditionem Argonauticam (in quâ noster etiam Meleager socius enumeratur) proximè sequebantur; bellum verò Troianum, toto penè seculo præcedebāt. Nam & illa ab iisdem ferè ipsis Heroibus, qui sunt hìc venatores, suscepta, & hoc ab eorum filiis gestum est. Istius autem negotii venatorii, facilè princeps extitit Meleager; quem antiquus poeta, quisquis ille fuit, τὸν Ἑλλάδος κλεινὸν ἄγωνα non dubitauit appellare, quemque Homerus ἀμύμονα vocat; Antipho verò tātopere extollit, vt reliquam procerum cohortē cōuenisse dicat,

Rhet. l. 2. c. 23.

Οὐχ ἵνα κτάνωσι θῆρ', ὅπως δὲ μάρτυρες
Ἀρετῆς γένωνται Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα.

Ibidem.

At qui duo potissimum sunt in hac Tragœdia, quæ fabuloso integumento obuoluta, veram historiæ lucem desiderant: Aper, & Stipes, fatalis

lis. Atque Aprum quidem Calydonium, insignem fuisse latronem narrant, feræ cuiusdam mulieris Corinthiæ filium, quã poetæ suem Chromyoniam appellant, a Theseo occisam, ex qua Aprum Calydonium procreatum esse, refert Strabo. quod si cuiquam mirum videatur, tot Principes Græciæ ad latronem opprimendum confluxisse, is si Viriatum Lusitanum, Spartacum gladiatorem, Othomanum primum, Tamburlanem Scytham, alioſq; famosos prædatores cogitauerit, mirari statim desinet. Stipitem verò fatalẽ, aut veneficiũ aut magicas artes fuisse credibile est, quibus Althæa Meleagro interitũ machinata est. Quod & Homerus videtur innuere; a quo lõgè aliter, q̃ ab Ouidio, ab isto, quã ab aliis, tota hæc fabula tradita est, pro suo cuiusq; arbitratu. Neq; n: dubito, quin aliter ab Antiphõte aliter ab Euripide etiam, ac fortasse ab Accio, distributa, ac pertractata sit. Quò magis & mihi fas esse existimabam, Atalantam, quæcunque ea fuerit, a coniugio abhorrentem, Oeneum superbum, ac Deũm contemptorem, vitæmq; sibi præcipitio finientem introducere, vt Tragœdiæ argumentum, maiore cum varietate, tum atrocitate pertexeretur. Nam, & sorores Meleagri, in aues Meleagridas conuersæ, iacirco excludebantur, ne omnis hæc fabula, in catastrophen potius prodigiosam, quàm in exitum, affectumque verè tragicum, quasi in piscem, certè

Turpiter atram
Desinat in volucrem, mulier formosa superne.

Geogr. 10.

Ilia. 1. Meta. 8.

Aristoph. in Ranis. Act. 3. sc. 2. Nonius Marcellus

Ad lectorem Academicum.

Quę nocturna olim ſpectaſti ad lumina, Lector,
Quiq; bis applauſum, te tribuente, tulit,
Luce tibi clarâ Meleagrum ſiſto legendum,
Et nudum mediâ conſpicuumq; die.
Quám differre procul ſpectatis lecta putabus?
Et fucum fecit larua lucerna mihi,
Vixq; idem eſt, dices, Meleager, qui fuit ante,
Et te damnabis, judiciumq; vetus.
Et tamen eſt idem; forſan mutatus ab annis,
Spectaſti infantem, iam puer eſſe poteſt.

ANtiquiſsima eſt hæc fabula, & ad ea tempora refertur, quæ expeditionem Argonauticam (in quâ noſter etiam Meleager ſocius enumeratur) proximè ſequebantur; bellum verò Troianum, toto penè ſeculo præcedebāt. Nam & illa ab iiſdem ferè ipſis Heroibus, qui ſunt híc venatores, ſuſcepta, & hoc ab eorum filiis geſtum eſt. Iſtius autem negotii venatorii facilè princeps extitit Meleager; quem antiquus poeta, quiſquis ille fuit, τὸν Ἑλλάδος κλεινὸν γόνον non dubitauit appellare, quemque Homerus ἀμύμονα vocat; Antipho verò tātopere extollit, vt reliquam procerum cohortē cōueniſſe dicat,

Ariſt. Rhet. l. 2. c. 23.

Ibidem.

Οὐχ ἵνα κτάνωσι θῆρ᾽ ὅπως εἰὲ μάτυρες
Ἀρετῆς γένωνθ᾽ Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα.

Atqui duo potiſsimum ſunt in hac Tragœdia, quæ fabuloſo integumento obuoluta, veram hiſtoriæ lucem deſiderant: Aper, & Stipes, fatalis

lis. Atque Aprum quidem Calydonium, insignem fuisse latronem narrant, feræ cuiusdam mulieris Corinthiæ filium, quã poetæ suem Chromyoniam appellant, a Theseo occisam, ex qua Aprum Calydonium procreatum esse, refert Strabo. quod si cuiquam mirum videatur, tot Principes Græciæ ad latronem opprimendum confluxisse, is si Viriatum Lusitanum, Spartacum gladiatorem, Othomanum primum, Tamburlanem Scytham, alioſq; famosos prædatores cogitauerit, mirari statim desinet. Stupitem verò fatalẽ, aut veneficiũ aut magicas artes fuisse credibile est, quibus Althæa Meleagro interitũ machinata est. Quod & Homerus videtur innuere; a quo lõgè aliter, q̃ ab Ouidio, ab isto, quã ab aliis, tota hæc fabula tradita est, pro suo cuiusq; arbitratu. Neq; n: dubito, quin aliter ab Antiphõte aliter ab Euripide etiam, ac fortasse ab Accio, distributa, ac pertractata fuit. Quò magis & mihi fas esse existimabam, Atalantam, quæcunque ea fuerit, a coniugio abhorrentem, Oeneum superbum, ac Deũm contemptorem, vitæq; sibi præcipitio finientem introducere, vt Tragœdiæ argumentum, maiore cũm varietate, tum atrocitate pertexeretur. Nam, & sorores Meleagri, in aues Meleagridas conuersæ, iccirco excludebantur, ne omnis hæc fabula, in catastrophen potiùs prodigiosam, quàm in exitum, affectumque veré tragicum, quasi in piscem, certè

Turpiter atram
Desinat in volucrem, mulier formosa superne.

Geogra. 13.

Ilia. 1.
Meta. 8.

Aristoph. in Ranis.
Asst. 3. sc. 2.
Nonius
Marcellus

PERSONAE.

Prologus 2.
Megæra.
Philemon.
Meleager.
Atalanta.
Chorus ciuiũ.
Oeneus.
Senex.
Althæa.
Aruſpex.
Theſeus.
Plexippus.
Toxeus.
Nuncius.
Venatores.
Nutrix.
Matres Calydonides.
Epilogus 2.

MELEAGER
Tragœdia noua.

Prologus ad Academicos.

Cygno poeta similis est, Academici;
Candidus vterq;, vterq; cantando valet,
Vterq; fluuijs gaudet, & amanis locis,
Vterq; Phœbo gratus, at cygnum ferunt,
Afflante Zephyro canere; quin ergo canat
Noster poeta (nominis detur sacri
Vsura nobis, quæso) cùm vestræ vndiq;
Attentionis tantus aspiret fauor,
Et aura facilis lenior Zephyro leui?
Lugubre carmen ille morituris canit;
Lugubre carmen noster & vates, quasi
Ipse moriturus, nempe morituri, canit,
Funebre, tragicum, forsan etiam ipsi vltimum.
Veniam poetæ quæsonascenti date;
Hic tranat auras primùm, & immensum æthera,
Pennisq; fidit, nigrior queis vix color
Discessit; alas nidulo hic primùm exerit,
Vocemq; tollit, proximi quæ nec freti,
Nec cuncta proprij fluminis penetret loca;
Vicina satis est ripa si referat sonum.
Nunc cantionis accipite summam nouæ.

Argumentum Tragœdiæ.

En alta Calydon, gentis Ætôlæ caput,
En aula Regum, clarus hic rerum senex
Potitur Oenêus, ille primitijs noui
Dum lætus anni, sacra Cælicolis facit,

So-

Solam Dianæ thuris expertem ferunt
Aram stetisse; seu fuerit illud scelus,
Siue error, iram mouit horrendam Deæ.
Namq; ecce, spreti vindicem cultus, aprum
Immittit agris; ille dat clades ferox,
Nec tota vasto sufficit Calydon malo.
Stomachatur Oenèius, nec Deam curat prece
Placare demens; Græciæ implorat Duces;
Adsunt; & vnà Schanei proles adest
Atalanta, Regis Arcadum; hanc iuuenis statim
Meleager ardet, filius is est Oenei.
Subinde venatum itur; at pacti priùs,
Vt victor hirti ferret exuuias apri;
Venatur; ecce prima dat calamo eminus
Atalanta plagam; comminus mactat feram
Meleager; ille gloriam victor suam
Cedit Atalantæ; auunculi facto inuident
Plexippus, & Toxeüs; statim rixa inuicem
Exoritur ingens; virgini spolia auferunt.
Accensus irâ, vtriq; Meleager latus
Mucrone figit; rescit admissum nefas
Althæa mater; æstuat, queritur, furit,
Vltura fratres, filiolei humparat;
Instruitur ara, stipes iniycitur rogo
Fatalis, illo vita Meleagri latet,
Meleager, illo stipite absumpto, occubat.
Regina crimen fassa, sibi pectus fodit,
Dirus superbum corripit Regem furor,
Et arce ab altâ præcipite lapsu cadit.
Squalore Calydon tota miserando iacet,

Plan

Plangunt q3 matres, faſtus hunc habet exitum.

Prologus ad illuſtriſsimos Penbrôchiæ ac Leceſtriæ Comites.

SOlent poetæ carmen orſuri, priùs
Sacrum inuocare numen, aut Phœbum patrem,
Doctam aut Mineruam, deuè Muſarum choro
Aliquam ſororem, cuius auſpicijs, opus
Ritè inchoatum, quem petunt, ferat exitum;
Præclare vir, Penbrôchiæ lumen tuæ,
Et tu Comes, Leceſtriæ ſydus tuæ,
Idemq3 noſtræ columen, ac ſplendor ſcholæ,
Vos numen vnum noſter implorat Chorus,
Vos Muſa, vos Minerua, vos Phœbus pater.
Tua trepidantem dirigat greſſum Manus,
Tuus malenolos arceat Baculus procul;
Tuus poetam proteg at noſtrum Draco,
Tua Cynoſura fabulæ curſum regat,
Coniuncta cælo ſigna, ſed terrâ magis.
Sidnæus etiam beneuolum aſpectum velit
Præſtare, noſtri lucidum ſydus poli.
At vos, quod annos ante tres factum eſt ſemel,
Iterum benignas quæſo nunc aures date.

ACTVS

MELEAGER.

Actus primus.

MEGAERA.

VASTA Mrelinquens noctis æternæ plagã,
Silentis Erebi, & manium tristes domos,
Megæra superas extuli ad sedes gradum.
Efferuet odio pectus, exundat furor,
Maiorq; rabies crescit aspectu loci.
Hic tumidus Oenëus opibus, ac sceptro potens,
Gentem superbã frænat Æolam manu;
Althæa thalami socia, Meleager patris
Indigna proles, sed tamen proles patris.
In hos opaci claustra laxam Iouis,
Iustis Dianæ precibus, atq; iræ fauens.
Cæsura iam iam est vulnere alterno domus,
Malos auunculos dabit letho nepos,
Soror nepotem, filium mater suum,
Melior parente, sed tamen nequam soror.
Iam scelera prope sunt, iam minæ, cædes, furor,
Paratur ignis, fueris causæ tui
Meleager, instant, stipes efferitur, nouo
Vrendus iterum matris iratæ rogo,
Video cremantem, teq; torrentem simul.
Venit dies, tempusq;, quo ferro latus
Althæa solues, quo graues, Oeneu dabis
Pœnas Dianæ, & pessimi letho cadet
Ab arce præceps: percitos furijs agam,
Miscebo cuncta, cur adhuc tanto vacat
Althæa scelere? quàm diu est domus innocens?

Cur

Cur tota non dum planctibus Calydon ſonat?
Iam perſonabit; ibo, & euertam omnia.

Philemon. Meleager.

MAgnanime Meleager, genus clarum Iouis,
Et poſt paternum, proximum nobis decus,
Quid eſt quòd iſtos pené iam ſeptem dies,
Cùm tota Calydon læta feriatur nouis
Hoſpitibus, Aula nobili exultat grege,
Et niſi choreis, luxui, ac dapibus vacat,
In publico tu gaudio, tacitus gemas,
Palam ſerenes, clam, grauem frontem geras,
Vix dignitatis aut tuæ, aut patriæ memor;
Sed mæſtus, & confuſus, & peſſundatus,
Tecum ſeorſim cogites, tecum ambules,
Oculiſq; ſomnum, corpori paſtum neges?
Licet ipſe nolis, ſponte ſe prodit dolor.
Quin me laboris, quicquid eſt, ſocium facis?
Effare, quæ te cauſa ſollicitum tenet?
Mel. *Vt ſum, Philemon, oro te, ſine ſim miſer.*
Phil. *Miſer? quid hoc eſt? vnde tam triſtis tibi*
Vox iſta vênit? ſoſpes eſt certè parens
Vterq;, tota ſorte fælici domus
Beata floret; nulla te miſerum facit
Fortuna; meritò eſt, ſponte quicunq; eſt miſer.
Mel. *Vt vera fatear multa quæ memoras bona,*
Mihi tamen animum maior excruciat metus
Furente ab apro, quó magis ſolitò furit,
Solitoq; propiùs ſæua prædatur lues;

An-

Ancepsq; metuo, quò dabit sese malum.
Phil. *Hæc causa gemitus? pelle degeneres metus,*
Animosq; veteres aduoca, & totum tibi
Reade Meleagrum. frontis hanc nubem excute,
Solitamq; vultus recipe lætitiam tui,
Ecce te decentem; patriæ vulnus nouum
Resarcietur; pestifer nostris aper
Pelletur agris, & tibi forsan dabit
Nouos honores. ecce, te spero manet
Spolium superbum capitis, ac tergi decus.
Mel. *Vtinam, Philemon; interim victor nouos*
Ducit triumphos, & spolia nostri abstulit.
Phil. *Meleager, vnde tantus incessit pauor*
Animo virili? quo tibi casu excidit
Virtus, & ardens pectoris robur tui?
Aliam subesse tam grauem causam reor
Dolore dignam, tantulæ certè pudet.
Sed vt sit illa, quam refers (miror tamen)
Quàm lecta iuuenũ turma conuênit, vides.
Adsunt creati Tindaro fratres, equi
Castor peritus, castibus Pollux valens,
Fidoq; Thesêus comite stipatus suo;
Adest Lycæi nemoris Atalante decus,
Omnisq; Graij splendor, ac robur soli.
Si Thesea, reliquosq; cognoui duces,
Prædator ille, tergore superbus licet,
Supplicia iam iam digna tibi, Calydon, dabit.
Mel. *Erras, Philemon; quem putas esse vnicum,*
Is geminus est; vnum quidem arcitenens Dea,
Immisit Oetæ montis infesti iugo;

Non leuior illâ, nec trucem minús, alterum
Pharetratus etiam misit Arcadiâ Deus.
Ille, per agros, & læta grassatur sata,
Hic propiùs vrget; intús est, intús furit
Indomitus, ardens; quodq; mireris magis,
Cui nulla Procerum sufficiat vnquam manus.
Phil. *Quis alter iste, quem mihi memoras, aper?*
Perplexa remoue verba, quodcunq; est, tegam.
Mel. *Ignosce quæso; quisquis impatiens sui est,*
Magis est suorum. Phil. *Quod nouum merui nefas?*
Quæ nota fraus, quæ suspitio fraudis, meam
Fidem alleuauit? tale quod tecum scelus
Gessit Philemon, *vt tuum quicquid premit*
Animum doloris, id animum velles meum
Celare? tutum pectus hoc quondam fuit,
Locisq́, seriysq́ spectatum tuis,
Idemq́ iam nunc, quod fuit semper, manet.
Mel. *Absiste tandem, nosse quid causam iuuat?*
Tibi sat superq́ est scire, quòd peream miser,
Nec sponte luctus, quos fero, tantos sequi.
Phil. *Silere pergis? precibus, ac iussu patris*
Cogam fateri, quicquid hic fari abnuis:
Ipse ad penates regios gressus feram,
Patremq́ ducam, cuius imperium extrahat
Abstrusa mentis. tené ego vt tacitis sinam
Perire curis? Mel. *ipse iam prodam, mane.*
Phil. *Dic tandẽ apertè.* Mel. *pectus insolitum vapor*
Amorq; torret, & velut sæuus vorat
Aper medullas; iste per venas ruens,
Visceribus imis iustat, & totos ferox

Populatur artus, & fibras subtùs rapit.
Pudet fateri, ferre quod nequeo ingum,
Iuuenumq́ primus est verecundus calor.
Nunc, si quid vnquam gratiâ nostrâ velis,
Intende neruos, res tuâ digna est fide;
Atalanta, virgo est, illa me cruciat fera.
Phil. *Hiccine aper ille? tantus huc rediit timor?*
Mirabar vbi se frangeret tantus dolor.
Sed illa, fateor, Arcadica verè fera est,
Feritate vix Oetæa quam superet truci.
Quis huius vnquam pectus indomitum domet?
Exosa prorsus nomen exhorret viri,
Vitatq́ himenæos calibem vouit torum.
Prom, negatum sperne, iuuenilem impetum
Ratione fræna; quam cupis, frustra cupis.
Quod vis, vbi vetant fata, quod possis, velis.
Mel. *Hæc est dolorum causa, medecinam expet*
Hinc iste pallor, tantus hinc torsit furor,
Quòd dura, quòd animosa, quòd siluas colens,
Amare nescit; & tamen talem meis
Sociare thalamis, quolibet statu modo.
Phil. *Quis flectat illam?* Mel. *duræ sit, victor*
Præclarior erit. eruere quercum libet,
Namq́ aura cannam quælibet moueat leuem.
Vt cera formam sumit, ac ponit statim,
Vix patitur vllam marmor artificis notam,
Sed vix remittit; stipula mox accenditur,
Restinguiturq́ non facile ferrum vritur,
Nec facilè friget: illa sic quò durior,
Hoc acriore foi san ardebit face.

Non æquet illam velleris spolium aurei,
Aprine cæsi, nullus Herculeus labor.
Vna hæc triumphi materia digna est mei.
Phil. *Tibi mutet animum, quæ viros omnes parì*
Prosequitur odio? Mel. *precibus haud flecti potest?*
Phil. *Fera est.* Mel. *Amor, tẽpusq; vicerũt feras.*
Phil. *Genus omne profugit.* Mel. *careo rivalis metu.*
Phil. *Nullamnè tota virginem Calydon habet,*
Quæ placeat? Mel. *animu non capit Calydon meũ.*
Phil. *Quid patria tellus?* Mel. *fortibus multò viris,*
Quàm procreandis fœminis apta est magis.
Phil. *Rudis est.* Mel. *at ista virginẽ ruditas decet,*
Qualis Dianæ convenit. vestem extimam
Sic pulchra morsu fibula innectit leui,
Sic illa nodo simplices crines ligat,
Sic pendet humero pharetra, sic arcum manu
Gestat sinistrâ, quam; virgineam putes
Habere faciem, quamq; puerilem putes.
Proinde monitis abstine, hâc citiùs queam
Cæli carere luce, vel conjux erit,
Vel mors repulsam nostra cumulabit grauem.
Phil. *Si tam obstinatus pectori furor incubat,*
Tentemus animum virginis sæuæ trucem.
Atq; ecce, credo sola venatu redit,
Progrediatur, ipsa est; initium casus dedit,
Facilem deinceps exitum præstet Venus.

Atalanta. Meleager. Philemon.

MEleager, ecce te mihi ex voto, locus,
Tẽpusq; præbẽt. Mel. *& quidẽ multò aduenis*

Atalanta, nobis gratior; sed quid rei?
Quæ causa voti est. Ata. *Vt tibi accusem moras*
Tam segnis Aulæ dapibus, ac ludis datum
Satis, superq; est; ipsa quàm nimio fui
Accepta cultu? restat id circò, meâ
Aliquam rependi gratiam dextrâ, pudet
Pigetq; luxus, interim Ætolos aper
Dum vastat agros, in sata, ac pecudes furens.
Mel. *Magnanima virgo, regiâ stirpe edita*
Atalanta, meritis gratiam nostris parem,
Et superiorem, merita retulerunt tua,
Quòd prima nobis ipsa contuleris opem,
Tantæq; nostra sint tibi curæ mala.
Sed eam remitte, lux sequens tollet moras.
At tu quid isto sola, tam pleno metus,
Pleno ferarum nemore? terribiles lupos,
Habet & leones sylua, & immanes apros,
Vrsosq;, vel si grauius his aliquid furit.
Ata. *Assueta syluis, incolas syluæ minùs*
Formido, maior ipsa quèis fio metus.
Et abfuisse iam mihi videor diu.
Proinde primâ luce, pertæsa otij,
Pertæsa somni, placuit in vestris feris
Arcum experiri, & studia venandi nimis
Remissa colere, nec labor vanus fuit.
Fuluum sub alto montis errantem iugo
Straui leonem, nec mihi Ætolus tamen
Tantus videtur, quantus Arcadicus leo.
Mel. *Hui! leonis virgo mactatrix feri?*
Si te libido tanta venandi capit,

Inse-

Insequere lepores potiùs, aut damas leues,
Agilesue ceruos, aut grauem certè lupum,
Cum maius aliquod facinus audere expetit
Generosus ardor; improbas prudens fuge
Natura quas armauit in cædem, feras.
Non tangit illas, ista, quæ nimiùm potens,
Homines, Deosq; forma commoueat tua.
Agita fugaces, fortibus virgo abstine,
Ne forte laus hæc stet tibi magno tua.
Ata. *Mihi me relinque, sola me noui probé,*
Meleagre, sic sum: sic ratio vitæ exigit.
Quantum periculi detrahi factis solet,
De laude tantum, ac gloriâ auferri puto.
Phil. *At te ipsa præter faminæ vires, nimis*
Offers labori, potiùs annorum memor,
Sexusq;, rigidam lusibus mentem excute.
Animum relaxa, propria describit Deus
Officia, calathi fæminam, fusi, colus,
Et Palladis non tela, sed telæ decent.
Virum sagittæ, spicula, arcus, vulnera,
Sudor, periculum, labor, puluis, iuuant.
Hoc esse munus virgini inductum putas
Vt dura toleret, montibus vitam exigat,
Syluestris, & truculenta, rectiq; insciæ
Natura mores singulæ ætati suos
Magistra fingit, & suo ducit gradu.
Matrona frontem tetricam, tristem, grauem,
Virgo serenam, nobilem, lætam gerat.
Et ista nunquam forma perpetuò manet,
Bonum caducum, temporis donum breuis,

Morbiq; præda, nulla transibit dies,
Quin aliqua vultus ſpolia formoſi auferet.
Ata. *Depone curam quæſo, quam pro me geris;*
Nec ipſa, plus quàm par erit, magnis caput
Obiicio captis, nec pudet me virium.
Quiſquis lacertos ſenſit, imbelles negat;
Nec ſunt ineptæ curſibus plantæ pedum,
Plagamq; ſanguis inſequitur etiam meam;
Et vis minare, quas mouet formæ nitor,
Et delicatus loquere, quêis pulchri nocet
Iactura colli, ſtrenuas tangunt manus.
Namq; ipſa, quanquam virginum tenero grege
Formoſa dicar, nomine arridet magis
Fortis vocari; quam vocant dotem, puto
Placere crimen, corporis formæ pudet.
Nunc vſta Phœbo coila, per ſuſæ comæ
Ventos ſequuntur, nunc in vnum ſimplici
Nodo ligantur; vincunt alte leues
Suras cothurni; pharetra de tergo ſonat,
Arcumq; læua ſuſtinet fortem manus.
Iuuat minacem conſequi pedibus feram,
Hyememq; duram, & pulueres, & ſolem, & famem,
Sitimq; ſæuam perpeti, & culpæ otium
Fugare matrem. qualis in bello furit
Pharetrata Amazon, talis in ſyluas feror.
Phi. *Quid iſta proſunt? numquid his armis puta*
Fugari Amorem poſſe tam leuibus Deum?
Qui maria, terras, cumq; Styge, cælum domat;
Quicquid Deorum, quicquid aut hominum genus,
Aut belluarum eſt, igne tam ſacro calet.

Ata

Ata. *Quis iste Deus est, quẽ mihi narras, Amor?*
Nam vos soletis nescio quem dicere
Regnare puerum, Diis grauem, ac mortalibus.
Mihi cum Dianâ, sola virginitas Dea est.
Mel. *At ista non est tota virginitas tua.*
Pars vna patris, matris est pars altera,
Pars tertia viri, patriæ quarta est tuæ,
Tua sola quinta est: solue quam debes patri,
Matriq; partem, coniugi, ac patriæ suam.
Atalanta, noli quæso pugnare omnibus;
Vincêre, nec te ab omnibus vinci est pudor.
Perire stirpem nemo generosam sinit;
Generosa stirps es, multa te soboles manet.
Delectet arbor flore, sed fructu magis.
Ni si decidisset iste flos matri tuæ,
Flos vbi fuisset, quem facis tanti, tuus?
Et ecce, plures flosculos coniux dares
Impensa multas vna virginitas parit.
Ata. *Secreta septis vernat vt in hortis rosa,*
Pecori remota, vomeri nulli obuia,
Quam mulcet aura, sol fouet, pluuiæ rigant,
Multæ puellæ, multi eam pueri expetunt;
Eademq; ab vngue carpta, vbi defloruit,
Nullæ puellæ, nulli eam pueri expetunt:
Intacta sic dum virgo, iucunda est suis:
At inquinatâ corporis casti rosâ,
Vbi virginalem perdidit florem, amplius
Nec ea puellis grata, nec pueris manet.
Mel. *Vt vitis agro vidua quæ nudo iacet,*
Haud semet vnquam tollit, aut mitem educat
Syluestris vuam, aut mole deflectens suâ,

Radice ſummam prona clauiculam implicat,
Nulli coloni, nullæ eam curant manus,
Eadem ſed vlmo cùm maritata eſt ſuo,
Multi coloni, multæ eam curant manus:
Intacta ſic dum virgo, dum inculta eſt, ſtatim
Seneſcit, at cùm iuncta connubio pari eſt,
Viro ac parenti gratior multò emicat,
Cunctiſq; melior prodit. & certè roſam
Beatiorem, quæ manu languet, reor,
Nareſq; paſcit interim, atq; oculos ſimul,
Quám quæ ſeneſcit frutice; namq; ibi mox quoq;
Iucunda nulli ſponte marceſcet ſuá.
Ata. Quæ grauior illà nocte nox cælo exeat,
Caſtam puellam quæ viro prodit truci,
Gremioq; matris virginem teneram eripit,
Trepidam puellam matris amplexu eripit?
Quid peius hoſtes vrbe iam captâ patrant?
Quod ad hoſte peius virgo patiatur nefas?
Phi. Quæ melior illà nocte nox cælo exeat,
Quæ miſcet animas, & duas vnam facit,
Natamq; matris eripere gremio poteſt,
Trepidam puellam matris abducit ſinu?
Horâ quid illâ lætius tribuant Dei?
Atalanta, neſcis caſta quid præſtet Venus;
Roga parentes, neue falluris, tuam
Si viua, matrem; iamq; teſtata eſt ſatis
Quód te peperit; virgo marciſſet, tua
Quæ iam fuiſſet vita? quin tu cogita,
Intacta licet & cruda, quàm dulce eſt tamen
Nomen parentis, quamq; iucundum foret,

Ata-

Atalanta si quæ parua rideret sinu,
Quæ te referret ore, vel lactans puer,
Cui blandiendo diceres, o quàm tuus
Et genitor in te fortis, & fortis tamen
Pars aliqua matris, miscet ex æquo decus?
Et cui iam adulto, facta narrares tua?
Ata. *Quid me ad iugales blandus hortaris faces?*
Puella sapiens triste vitabit iugum.
Vel sunt enim plerumq; Zelotypi viri,
Vel dissoluti, vel nimis domini graues.
Tum parere, quanti est? quam vel ad vocem horreo.
Proinde mecum fugere constitui; prius
Mergetur ortu, incipiet occasu dies,
Paxq; ante canibus alta cum damis erit,
Quàm victa facilem coniugi mentem dabo.
Sed nostra nè sint verba suspecta, amputo;
Iamq; ipsa magis ac solita, me facilem dedi.

Exit subi-rata in Re-giam.

Meleager. Philemon

VT dura cassis vndiq; impenetrabilis
Iaculis resistit, & graui sonitu procul
Ictus remittit; verba sic nostra excutit.
Haud sic abibit; interim spera tuam.
Phi. *Ah cur inanem spem tibi frustra facis?*
Voti facultas nulla continget tibi.
Mel. *Continget; & me compotem faciet Venus.*
Tentabo propius, precibus admotis agam;
Et cùm reducet crastinum Phœbus diem,
In apri cruore, gloria nostrâ viam

Virtute

Virtute quæram, meq; eâ dignum geram;
Sin forte nostros pertinax spernet toros,
Stat detinere, & si repetat aliquis, manu
Raptam tueri. Phi. *hospitia violabis furens?*
Mel. *Hospitia violat, hospitem qui deperit?*
Phi. *Omnem hospitalis Iuppiter raptum vetat.*
Mel. *Quàm sæpe raptum Iuppiter talem probat?*
Phi. *Opem datura vênit* Mel. *at cladem mihi.*
Phi. *Feram vt repellat.* Mel. *ipsa mihi maior fera.*
Phi. *Quàm grauia sint timenda, si raptas, vides.*
Mel. *Quàm grauia sint ferenda, si caream, scio.*
Phi. *Parête fulget Rege.* Mel. *& est mihi Rex pater,*
Et imperio, & opibus, & armis prævalens;
Est & patri Meleager, & amoris face
Meleager ardens totus, ac plenus Deo.
Sed tu monere desine, ac scrupulos mihi
Iniycere vanos; aut erit thalami comes,
Aut spes ab alto nostra ruitura est gradu.
Iam plura tempus, ac meus prohibet pudor;
Certamen ingens instat; interea meos
Simulabo vultus, spemq; consilio regam.

Chorus,

O quàm nostris truculentus agris
Impunè furens exultat aper?
Rabido fulmen spirat ab ore.
Frondesq; ipsas spiritus vrit.
Modò crescentes primâ segetes
Proterit herbâ, modò fleturi

Vota coloni matura metit,
Spicisq; rapit Cererem plenis;
Frustra expectant horrea messes.
Nunc cum longo palmite fætus
Sternit grauidos, nunc cum ramis
Bacca virentis semper oliuæ,
Cumq; racemis eruta vitis
Radice iacet. furit in pecudes;
Non has pastor, fidusué canis,
Non armentum valeant tauri
Seruare truces. populi fugiunt,
Vix se tutos mænibus ipsis,
Atq; vrbe putant. tu Meleager,
Et tu Theseu, tuq; Atalanta,
Et vos Procerum lecta caterua,
Calydone ferum pelletis aprum.
Iam tibi clades, setiger, instat;
Iam Meleagro dabis egregium
Cædis honorem, capitisq; tui,
Tergiq; decus.

Actus Secundus.

Oeneus. Senex.

PAR dijs superbis gradior, & cælo tenus,
Inter tyrannos, arduum caput effero.
Nam quid feracis annuos terræ loquar
Reditus? liquoris copiam Bacchi? horrea

Primó transeunt venatores, e Regiæ ad sanum Dianæ, omnes bini: in medio solus incedit Aruspex, cum omni apparatu sacrifico, & victimæ mastandæ.

Cu-

Cumulata Cereris munere? aut pingues Deæ
Latices Minervæ? mille quid referam greges
Pecudum minorum, mille maiorum meis
Armenta in agris? adde quòd cingit frequens,
Felix q; nostrum turba natorum latus.
In quot fatigor oscula, & in omnem gregem
Dividere patrem? quid quòd hunc portum attigi
Ætatis, inter perpetua pacis bona?
Nec vlla morbi me, vel infortunij
Procella, vitæ grauior in cursu meæ
Iactauit vnquam. fata quæ optari queant
Meliora, quàm quæ semper ex voto tuli?
Aut quis videtur posse, fortunæ gradus
Vlterior addi? quisue iam noceat mihi?
Aut cuius odium? nempe Latonâ editæ.
Hæc, quem Deorum tota cõsensit cohors
Semper beatum stare, nec cladem pati,
Hæc vna capit obstrepere nuper mihi,
Et fata verti posse, nequicquam putat.
Miserè verendum est, ne grauius aliquid, furens
Diana statuat. scilicet nostris gravem
Immisit agris vindicem cultus aprum,
Spretiq; honoris. sed fremat quantum potest,
Fremat Diana, cedet in laudes meas
Furentis ira, latus inuidiâ fruar,
Et vindicem vindicta, quam vellem, manet.
Se. *Magnanime Princeps, & domine tantis mihi*
Colende meritis, comprime affectus, precor,
Et quam lacessis cogita; spernis Deam,
Et præpotentem, quæ suo calo valet,

Ter-

Terraq́ & Erebo, quæq́ per gentes triplex
Numen probauit, vſq́ quá mundus patet,
Vbiq́ præſens colitur in terris Dea.
En hanc laceſſis, atq́ ne facilem putes,
Probauit iram nulla maiorem Dea;
Nec niſi cruentâ morte ſatiari ſolet.
Immitis etiam vel leui errori fuit;
Innocuus hoc teſtetur Actæon lacer;
Quid illa ſceleri faciet, ac menti impiæ?
Iamq́ inchoauit, atq́ ne pergat, precor.
Oen. *Cui precibus opus eſt, cũ libet, fundas preces,*
Mihi nulla voti cauſa ſuccurrit tui;
Fœlix vocor; nam quis neget? fælixq́ ita
Semper manebo; nulla me miſerum dies
Videbit vnquam; quis dubitet iſtud quoq́?
Copia beatum fecit; en ſedeo altior,
Quám cui nocere, velle fac, caſus queat.
Atq́ vt repentè multa ſurripiat mihi,
Multò relinquet plura, quám rapuit tamen.
Omnem timorem noſtra vicerunt bona.
Nam finge poſſe (ſed tamen iam quí poteſt?)
Sed finge multa copijs demi meis;
Non vſq́ redigar, vt miſer fiam tamen.
Se. *Quó quis ſuperbus extulit ſeſe altiús,*
Hoc grauiùs ille, ac fœdiùs ſubit ó ruit.
Oen. *Decet ſuprema facere ſecurum bona.*
Sen. *Solent ſuprema premere ſecurum mala.*
Oen. *Quid eſt timẽdum?* Se. *nẽpe q, metuas nihil.*
Oen. *Timidi eſt metuere ſingula* Se. *audacis nihil.*
Oen. *Stultè timetur, cauſa vbi nulla eſt metus.*

Sen.

Sen. *Cùm facere miserũ sors queat, causa haud deest.*
Oen. *Sum maior ipsa sorte.* Sen. *& in viuis manet?*
Oen. *Rex vino clarus.* Se. *nomine hoc magis expare;*
Grauiore turres decidunt casu arduæ,
Altosq; montes crebrius fulmen ferit,
Et vasta morbo membra maiori patent.
Oen. *Me subditorum posuit in tuto fides.*
Sen. *Cælestis ira cùm premit, ad homines fugis?*
Quidq; ipse spernit numen, hunc cives colant?
Religio cultus seruat humanos Deũm,
Oen. *Ingens Deorum stat etiam a nobis fauor;*
Quoties optimâ victimâ ante aras steti?
Et sancta quoties thura congessi focis?
Quid quòd recepit mensa conuiuas mea,
Et ore nostras sæpe gustarunt dapes?
Sen. *Debere Superos posse mortali putas?*
Aut demereri numen officijs potes?
Aut tum mereris, cùm hospites mensa excipis?
Sed fac Deos fauere; plus tamen vnica
Diana noceat læsa, quàm prosint tibi
Decem fauentes, si tamen faueant decem.
Commune Superos vinculum generis tenet,
Et pariter omnes tangit vnius dolor.
Nam quisq; metuens, ne sibi simile accidat,
Pœnâ cauendum censet, & iustam probat
Iram Dianæ; nec alij factum Deo
Feciſſe fas est irritum, alterius Dei.
Impunè Diuos Iuppiter sperni vetat;
Supplicia moneant; vna sit Niobe satis,
Nec dignitate, nec genere cedens tibi.

Quam

Quas illa spreti numinis pœnas dedit?
Vnde illa cecidit, non stat hoc Oeneus loco?
Nolo ominari, Cœlites iterum precor,
Vt causa similis careat euentu pari.
Oen. *Vt te senectus timida, nequicquam metu,*
Expersq; veri ludit, ac curis agit?
Si rueret omne, quod vides cœlum vndiq;,
Et ipse ruerem, fateor, & ruerem libens.
Haud ille miser est, quisquis ex alto cadit,
Cadente mundo pariter. at magnum facit
Niobe timorem; numquid hic Nioben vides?
Aut causa par est? illa maledictis Deam
Vitrò petiuit, me lacessitum queror;
Ingemere damnis, esse tu credis nefas?
Sen. *At te Diana quo lacessiuit malo?*
Oen. *Delire, nescis? quid quòd horrendum meos,*
Non prouocata, miserit in fines suem?
Sen. *Non prouocata? numquid id ducis leue,*
Solenne festo cùm sacrum faceres die,
Cùm iam Lizo vina libares sua,
Sua dona Cereri, Palladi latices suos,
Superosq; ad omnes gratia veniret sacri,
Sine honore solam victima, aut thuris, Deæ
Aram stetisse? quæq; contemptum tulit,
Inulta ferret? Oen. *scilicet, magnum scelus,*
Carnisse sacri honore, cui pars fructuum
Nulla tribuenda est, quæq; mortales quidem,
Sed non nocendo, more latronum, beat.
Quis olea, fruges, vina, lanigeros greges,
Retulit Dianæ accepta? quæ syluas colit

Syluis

Syluis colatur, quasq; venatur, feris;
Parum illa vitæ commodis affert boni.
Sed ecce coniux tristis huc affert gradum,
Turbata vultu, totus in gestu est dolor.

Oeneus. Althæa. Senex.

Dilecta coniux, cur genæ fletu madent?
Quæ tanta vultus causa mutauit tuos?
Quid pallor iste? fare quid lacrymæ ferant.
Alth. *Exterret animum noctis hesternæ metus,*
Visumq; coniux. luna iam cursum vaga
Medium tenebat, mæsta cum thalamos meos
Intrare visa est vmbra genetricis mihi;
Et bis verendum terq; concutiens caput,
Quis dirus, inquit, nata, te casus breui,
Fratresq; geminos, filios olim meos,
Sociumq; thalami, teq;? Meleager, premet?
Horrenda clades, dira pernicies adest.
Tum multa secum questa, grauiterq; ingemens,
Te scire plura, plura me fari vetant
Abstrusa fata, si tamen flecti queant,
Placa Dianam, dixit, & thalamo exijt.
Mihi soporem gelidus excussit timor,
Artusq; subijt horror, ac mentem stupor.
Heu quam ruinam fata minitantur mihi,
Aut quæ meorum tanta clades imminet?
Oen. *Hæc causa fletus? per Deos, vix tam queo*
Risum tenere. suspitio quænam mali
Tam minima poterit esse, quam si ceperis

Misera

Misera timere, non statim miserè fleas,
Et flendo facias maximam? in somnis tibi
Hæc accidisse visa, quæ vigilans times,
Miraris? et quæ timida tecum cogitas?
Quæcunq; mentem trepida vigilantem grauant,
Ea celer, irternusq; per somnum solet
Referre sensus, & sopor geminat metum.
Iram Dianæ stulta plus æquo times;
Hinc vmbra matris, inde tot somnus tibi
Portenta finxit. molliter socrus iacet,
Et nocte campos tenuit hesterna sacros
Anima beata, qua tibi visam putas.
Proinde solitam recipe latitiam, precor,
Timore pulso, quem nimis fingis tibi.
Sen. *Finxisse cupio, ponderis quiddam tamen*
Habere magni, somnia potentum solent.
Oen. *Æquus potenti, ac pauperi somnus venit,*
Mendax vtriq;, forsitan Regi magis,
Quó dormientem maior exagitat metus.
Et ipse quoties talia in somnis tuli
Prodigia, quæ ridicula iam fecit dies?
Sen. *Segnis Deorum est ira, sed certa est tamen.*
Atq; vt securis quò magis retrò datur,
Et altiore tarda libratur manu,
Hoc acriore vulnere ad corpus venit:
Sic ira Superùm, quò magis patitur moras,
Et tardiorem pigra metitur gradum,
Hóc fortiorem ponit, & grauiùs pedem.
Oen. *Ne sponte mulier non satis metuat, senex*
Addat timorem, sed cadat quicquid potest

Accidere, quis me casus infelix premat?
Alth. *Quodcunque fuerit, haud temerè credo fore*
Aras Diane petere constituit sacras,
Cæsis precari victimis numen Deæ,
Vt expiatas somnij auertat minas.
Oen. *Quid ista tandem vult superstitio sibi?*
Cur naugentem torquet in portu metu?
Alth. *Tutoné regnum stare iam credis loco,*
Dum vastat ingens patrios fines aper,
Segetesq; adustas sternit, & latè fugam
Edit per agros? Oen. quicquid impelli potest,
Ac vindicari, num quis id magnum putet?
Vtinam quidem fugare tam possim meis
Membris senectam, quàm meis agris aprum.
Sed en, peracto redijt a sacro cohors;
Florem inuerigentis Argolicæ iuuat.

Oeneus. Aruspex. Theseus.
Althæa. Meleager. Plexippus.
Toxeus.

MAgnanime Theseu, tuq; magnanimi comes
Et reliqua iuuenum turma, iam votis dies
Adest petita, dexteris nunc est opus.
Sed tu profare, si quid ex sacro Deus
Præscire, Aruspex, dederit, en lata omnia?
Arus. *Ter magne Princeps, patrij columen soli,*
Vtrumnè doleam nescio, an læter magis,
Nam læta duris mista perplexè latent.
Apro cruentum lator instare exitium,

Sic exta monstrant, sed tamen magnus quoque
Quatit horror artus, metuo quid superi parent.
Oen. Ostende tandem signa quid sacri ferant.
Arus. Quòd trepida segni lingua cunctatur morâ,
Ne tibi animum, Rex magne, commoueat, precor,
Celare mos est mouita sacrorum Ioui,
Horrenda nobis fata cum sciri vetat,
Aut aliquid ingens Celites læsi apparant.
Oen. Quid istud ingens? fare, sit dubium licet.
Arus. Certi quid eloquar? quid effari queam?
Nam versus ordo est, sede nil iacuit suâ,
Sed acta retrò cuncta; lex pecudis sacra
Remansit vtero nulla; mutauit fibras
Natura solitas; stipes in medijs focis
Sanguineus arsit, flamma mugitum dedit
Lugubrem, & ara tremuit, ac mouit loco.
Nec omen vllis viscerum ostentis queam
Eruere certum, sed tamen triste est, scio.
Oen. Quid hoc Aruspex quod timet, cõiux, senex?
Inane quiddam est: si tamen quicquam mali est,
Cras expiabo victimâ crebrâ minas.
Vos interim animos erigite fortes, precor,
En, iste vestras postulat dextras labor,
Et dignus in quem tanta desudet cohors.
Ite, spolia referte, titulos vestris nouos
Adijcite factis. si foret viridis mihi,
Calidusq; sanguis, quaq; florenti fuit
Iuuenta quondam, nec graues senium gelu
Tardaret artus, ite, prohiberet pudor,
Venite dicerem, ipse me primum darem.

Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Labant q; gressus; qui potest, ibit comes
Imago nostri, & vita Meleager mea,
Eum periculi, quicquid est, facio Ducem.
The. Venerãde Princeps, quicquid in nostra manu
Fidei reponis, haud eã spero cades.
Si quid lacerti, spicula, at q; animi queant,
Et placidus adsit numinum cæptis fauor,
Iam iam triumphum feruger lætum dabit.
Oen. Vox digna tali, qualis es, Theseu, viro;
Virtute macte Græcia magnum decus.
Et vos, iuuentus reliqua, memores gloriæ
Animis adeste, nemo non aliquo mihi
Donatus ibit munere ad patrios lares.
Sed ecce, tempus in viam, ac syluam vocat.
Ipse ad penates regios referam gradum.
Alth. Incæpta, iuuenes, Dij precor vestra adiuuent
At te parentis si qua, Meleager, tuæ,
Et vos, amantis si qua, germani, manet
Pietas ororis, parcite in vobis, precor,
Matri, ac sorori, sæpe sibi virtus nocet
Prodiga laboris, cautiùs pugnæ vices
Inite dubias, nulla sine vobis mea
Futura vita est, occiditis, vná occidam.
Mel. Te nulla, genitrix chara, sollicitam grauet
Nostræ salutis cura, non hanc maximam
Pugnam subimus. quæq; nos antehac tibi
Reduces dedit fortuna, iam reduces dabit.
Plex. Omnem timorem quæso deponas, soror,
Totam cohortem referet actutum Deus.

Tox

Tox. *Germana, nullus anxiam cruciet metus,*
Iam mox reuersos festa uisura est dies,
Et ipsa venies in uiam laeta obuiam.
Alth. *Cupio reuersos, itaq; confido fore;*
Etsi repugnet nescio quis animo timor.

Meleager.

COmites periculi, quae ratio pugnae placet?
Quae via ineunda est? hanc mihi visu est sequi.
Se tota varias scindat in partes cohors.
Pars una nemoris hinc & hinc diuortia
Ignota quaerat, seq; ad omnes undiq;
Obiiciat aditus; pars alia, totum nemus
Late coronet; alia, per iuga montium
Valles q; scandat; per cauos alij specus,
Atq; antra tendant; atq; vbi argutum canes
Dedere signum, quisq; quà clamor vocat
Occurrat vnà, & mutuas iungat manus.
En, si ista vobis ratio venandi placet,
Percussa clarum scuta signum praebeant.
Satis est; at vnum restat, vt spolium ferat
Apri superbum, qui prior dederit neci.
Si pariter ista lege venari placet,
Latis apertum spiculis signum date.
Rectè, peractum est; quisq; sibi comitem eligat;
Atalanta, mihi te, si placet, sociam dabis,
Et parte mecum praelium in eâdem geres.
Sed ecce, multum ducimus fando diem.
Hàc hàc eamus, quà breuis longum via
Compensat iter, haec semita in syluam feret.

Chorus.

O Pax alma Iouis filia maximi,
Quantis regna beas inclyta præmijs,
Vti mùneribus si benè nouerint?
Contra, quot miserè cladibus afficis,
Vti muneribus si malè caperint?
Hûic primogenita est filia Copia,
Sed matris petulans filia sobria,
Mollis, blanda, fluens, dedita luxui,
Quam ni contineat dextera parcior,
In quodcunq; nefas proruit improba.
Istam subsequitur vana Superbia,
Lasciuâ soboles matre nocentior,
Trux, inflata, tumens, effera, gestiens,
Contemptrix, nimiùm semper amans sui,
Quam nulla indomitam lora coerceant.
Hâc stirpe impietas ducit originem,
Proles deterior matre superbiâ,
Cûi crista est tumido vertice celsior,
Ipsos ausa Deos sperneré calites,
Semperq; in tragicum desinit exitum.

Actus Tertius.

Nuncius. Chorus.

O Læta fata, placida, memoranda, optima,
O fausta, niuea, prospera, o mites Deos,
Faciles, benignos, o diem verè diem,
Placidamq; sortem! Ch. quid precor portas noui?

Num

Num cæsus aper est. Nun. cæsus est, ingens iacet.
Cho. *Quis cædis author? imò si vacat, & libet,*
Vt gesta potiùs quæque narrato ordine.
Nun. *Est sylua duris quercuum trabibus frequens,*
Fagisq; cælo æqualis, ornisq; ardua,
Imoq; summo prospicit campos iugo;
Quam nulla ferro læsit, aut coluit manus,
Præbet patentem lata planicies viam.
Animosa postquam venit huc iuuenum cohors,
Pars lora demunt canibus, at illi moras
Patiuntur ægrè, & sponte luctantur suâ
Vinclis resolui, vinculis illi vias
Carpunt soluti naribus syluæ inuias,
Alacres, sagaces: pars graues tendunt plagas,
Pars pressa nuper signa rimantur pedum,
Reperire cladem quisq; prægestit suam.
In parte nemoris pandit ur mediâ specu
Vallis profundo, huc proximis riui solent
Pluuialis vndæ montium labi ingis.
Imum lacunæ vestiunt salices sinum,
Iunciq;, & vluæ, vimina, & canna leues.
Hæc dira sedes, hoc apri stabulum fuit,
Immanis apri, terribilis, hirti, trucis.
Non maior illo pascuis errat tuis
Epire, taurus, at minor siculis solet:
Oculi coruscant sanguine, & flammis micant,
Frons torua rugis, hispidâ ceruix iubâ
Incudis instar, calibis aut duri riget.
Setæq; similes spiculis, stant ferreo
Vallo minantes, alba dimanat toris

Stridore vasto spuma, per rictus fluens.
Æquatur Indis dentibus vis dentium,
Mistumq; ab ore fulmen & tonitru vomit.
Excitus antro, talis ac tantus furens
Medios in hostes fertur, incursu grauem
Trahens ruinam, sternitur tanto nemus.
Repentè clamor oritur immensus canum,
Hominumq; cornuumq; & ornorum fragor.
Ille ruit, atq; vt quisq; se fortè obtulit,
Ictu premente dissipat gemino canes.
Hastile primum Echionis missum manu
Inane fuit, & vulnere in trunco leui
Constitit Acerno; proximum, nisi robore
Nimio volasset, tergore hæsisset feri,
Longiùs it, author cuspidis Iason fuit.
Ardescit ira setiger, & ignem vomit;
Velutiq; neruo grandis adducto volat
Impulsa moles, arduas turres petens:
Sic impete omni fertur in iuuenes aper.
Cecidisset ictu Nestor oppressus graui,
Sed leuiter hastâ nixus apposita, arboris
Insiliit altè quæ stetit ramis prope,
Hostemq; celso despicit tutus loco.
Ast ille dentes stipite in querno terens,
Iam iam ruinam spectat, & cædi imminet.
Rostroq; fortis hausit Orithyæ femur.
Geminiq; fratres Tindari, inuictum genus,
Hastæ periti, vulnera dedissent apro,
Nisi per opaca callidus syluæ loca
Isset, nec vlli peruias iaculo vias.

Sequi-

Sequitur furentem concito Telamon gradu
Studioq; eundi incautus, arborea cadit
Radice pronus, dumq; eum Peleûs leuat,
Atalanta flexis cornibus, celerem expulit
Arcu sagittam, at illa distrinxit feri
Sub aure, summum corpus, & setas leui
Cruore tinxit; erubuit omnis cohors,
Pudorq; vires addit, atq; animos viri
Clamore tollunt, densa telorum volat
Sine ordine acies, turba coniectis nocet.
Quis fando narret cuncta? tot discrimina,
Tot ausa iuuenum clara, tot strages canum?
Sed inter omnes prima Meleagri fuit,
Et summa virtus: obuiam quoties apro
Occurrit ardens? comminus quoties caput
Offert periclo? nec deest tantis minor
Fortuna cœptis, sed fauens dextram adiuuat.
Binisq; missis, altera a tergo stetit,
Hasta alia fronte; dumq; iam voluit minas,
Corpusq; in orbem versat, & spumam nouo
Cruore fundit, vulnera ingeminans, premit,
Hastamq; in armos condit aduersos apri.
Clamore tota, more venantum, cohors
Exultat, & iam quaq; victricem petit
Tractare dextram dextra, terribilem suem
Tellure multa vix recumbentem, undiq;
Mirantur omnes, vixq; adhuc tutum satis
Contingere putant, fronte sic torua iacet,
Sic ardet oculis, ore sic toto est minax,
Venabula tamen quisq; iam tingit sua.

Hic

Hic ordo pugnæ, cædis hæc series fuit;
Ad Regiam ipse concitos gressus fero.

Venatores. Meleager. Atalanta. Plexippus. Toxeus.

Canunt in Scenâ.

PVbicum cives celebrate festum,
Occidit frendens aper, ecce torui
Oris, & tergi spolium cruentum;
Victimas aris date, thura flammis;
Tota deducat Calydon superbum
Læta triumphum.

O diem lætum peragant coloni,
Tua iam canas segetes aristis
Proferat tellus, onerata vitis
Pampinos fundat grauidos racemis;
Tota deducat Calydon superbum
Læta triumphum.

Turba pastorum celebret choreas,
Fronde velentur iuuenes senesq;
Nulla iam pestis pecori minatur,
Pascuis gramen sine strage carpat;
Tota deducat Calydon superbum
Læta triumphum.

Mel. *Generose Theseu, vosq; tantorum inclyti*
Socij laborum, dona quæ tantis rear,
Factis rependi posse? Dij certè optima,
Virtusq; vestra reddet, haud nostræ est opis
Paria tribuere, quas tamen grates queo
Superis secundas refero, maiores pater

Et tota Calydon soluet; exuuias apri
Ex lege nostras, interim dono datas
Atalanta, nostri iuris, atq; animi cape
Indicia, & altæ signa virtutis tuæ,
Meumq; tecum veniat in partem decus.
Ata. Magnanime Meleager, quid efferi queam?
Animumne fortem, & dexteram bello inclytam,
An liberalem, nescio admirer magis,
Suspicio vtrumq;: quod dabo munus tuo
Æquale merito? verba quæ digna efferam?
Sed tu pudori virginis veniam dabis,
Quòd paria factis verba concipiam minùs.
Hæc pauca referam; siue cùm syluas petam
Memorabo syluis, siue per montes eam
Implebo montes, gratiæ tantæ memor.
Vbicunq; viuam, nullus oblitam tui
Meriti videbit, nullus ingratam dies.
Plex. Toxeu, quid agitur? ista præripiet viris
Insigne honorum? inglorij nos patriam
Repetemus? ista sola de nobis domum
Ibit triumphans, & superbifica manu,
Spolium per vrbes ducet Argolicas apri?
Tox. Plexippe, semper mihi neget reditum Deus,
Si tale nobis dedecus inuri sinam.
At tu proinde fœmina, viriles, age,
Depone titulos, forma quæ nimium tua
Istum fefellit, quæso ne tanti putes
Vt capiat omnes; en tuo, præter modum est
Amore captus, muneris tanti dator.
Mel. Thestiadæ auunculi, quis hic vestris furor

In-

Et

Incessit animis? spolia meruisse, est nefas?
Aut mea dedisse cui libet, tantum scelus?
Quid torua manes fronte iactantur minæ?
Quid me cruento, & lumine aspicitis truci?
Plex. *Sic collocari munus egregium decet?*
Tanti periculi terror, hunc feret exitum?
Hanc quisq; labem referet ad patrios lares?
Hæc posteris mandata dedecoris nota,
Tanta in cohorte, faminam victoriæ
Retulisse palmam? Mel. *scilicet, num vos decet*
Tanta in cohorte auunculos solos, decus
Partum nepoti, præripere velle inuidos?
An tale facinus gloriæ vobis erit?
Sed illa spolium referet, & digna est, aprum
Quæ sauciauit prima, quæ virgo, viris
Virtute par est, genere, factis, dexterâ.
Tox. *Horrenda setis terga, & ora hæc dentibus*
Indis tremenda, faminæ dextram decent?
Mel. *Inuidia vos decuit, & iniustus furor?*
Plex. *Iustam excitauit magnanimus iram dolor.*
Mel. *At causa nostri iustior doni fuit.*
Tox. *Malè collocati muneris?* Mel. *rapti magis?*
Ple. *Iniusta querimur.* Mel. *iusta raptores probat?*
Tox. *Quæ causa iusta?* Mel. *dexteræ virtus meæ.*
Ple. *Quid nostra?* Mel. *litis plena, & inuidiâ tumēs.*
Tox. *Tua sola virtus?* Mel. *fateor, auxilium tulit*
Atalanta. Pex. *Nempè contulit magnũ.* Mel. *munus*
Thestiada vterq;. Tox. *viribus vestris aper*
Solisne iacuit? ergo quid Procerum cohors?
Mel. *Vestrisne ceciait?* Pex. *turpis vt mentẽ abstulit*

Anno-

Amoris ardor? Mel. *vt furor vestram magis?*
Sed quid ago, facti ratio reddenda est mei?
Placuisse satis est, placuit, & iam perplacet,
Mea sunt, dedi, sic iubuit, & sic iam libet.
Tox. *O turpitudo, & impudens animi furor!*
Oeuida tumiáe, iam furere pergis palam?
Libidini deseruiet nostertuæ
Sanguisq́ honorq́? tantus huc cecidit labor?
Mel. *Equidem reprimere verba, & a ducces malo*
Peteram domare, sed sibi frænum mea
Iniciet ira, quemq́ vos linguis modum
Non retinuisti is, nostra seruabit manus.
Plex. *Domare poteras? tune? quos? vnus, duos?*
Nepos, auunculos? virum placidum scias.
Libet experiri dexteram, & patientiam
Domitoris huius. pone tu exuuias apri,
Nec intuere præmij authorem, nihil
Iuuabit ille, pone, vel ferro lues.
Mel. *Vterq́ honoris discite rapaces mei,* *Vtriq́ latus subitò pugione fodit.*
Quid dextra linguæ, facta quid distent minis.
Sic pereat, atrà quisquis inuidiâ tumet,
Tu spolia recipe parta bis nostrâ manu.
Ata. *Dij paria meritis pretia pro tantis tibi*
Meleagre, soluant. quám tamen mallem, minùs
Forent cruenta? Mel. *quem locum profugus petam?*
Vbi me cruento matris aspectu auferam?
Quæ verba nectam? quo feram vultu graues *Proiicit pugionem sanguine stillantem.*
Charæ sororis, cæde fraternâ minas?
Quâ fronte cædem? qua facinus arte occulam?
Atq́ ecce lætum mater huc affert gradum,

Hei

Hei mihi, tegantur corpora in medio abdita.

Althæa. Theseus. Meleager.
Atalanta.

QVæ digna vestræ merita virtuti feram
Inuicta iuuenum turma? victrices iuuat
Videre dextras; fama quamprimum ad meas,
Peruênit aures, cædis, & victoriæ.
Vt gratularer in viam memet dedi;
Fælice reditum lætus euentu, meus
Expectat Oeneûs. sed quid hoc? quid vis tibi?
Quid ora, nate, vertis, & fletu rigas?
Quæ causa fletus? sic ne venientem excipis?
Quid mæsta vultus tota conticuit cohors?
Narrate fratres, tune quoq; Toxeu siles?
Plexippe, mutus? quid mali factum est noui?
Adeste fratres, nemo respondet? soror
Fratres voco. quid hoc rei? fratres voco.
Fratres, vbi estis? sistite in medio palam?
Meleager, vbi fratres? silet, mæret, gemit.
Te per tuorum facinorum laudes, precor
Theseu, tuiq́, nominis famam inclyti
Quæ causa luctus, fare, cur fratres latent?
Nihil ijs receptis accidere durum potest.
The. *Regina, clarum gentis Ætolæ decus,*
Cur me ad gemendæ sortis indicium vocas?
Sæpe odit ingens indicem cladis dolor.
Verúm, cúm abire tacita sic nequeant mala
Vt te laterent semper, optarim licet

Aluum doloris indicem faceres tui,
Inuita placidè verba vt accipias, precor.
Alth. *Sermone mentem grauiùs incertam tenes,*
Effare, vbi sunt? non amat pietas moram.
The. *Vterq; casus inter extinctos iacet.*
Alth. *Quod facinus aures pepulit? extinctus iacet*
Uterq;? *Theseu, verba detestor tua.*
The. *Tibi ecce certam faciat aspectus fidem.*
Alt. *Quas misera voces, misera quos gemitus dabo?*
Planctusq; quos? qua verba sint cladi satis?
Demissa cerno capita, & imbelles manus,
Et ora morte pallida, & vultus truces.
Ia lesne vos aspicio redeuntes, soror?
Hic est triumphus? festa promissa est dies,
Hæc illa, tristis, improba, execrabilis?
Hæc illa nostri cura, crudeles, fuit?
Huc crebra, Superi, vota redierunt mea?
Plexippe, vultum attolle, vel Toxeu, tuum,
En osculatur, hæret amplexu soror.
Sed heu, querelis tota abit frustra dies;
Quæratur author cædis incolumes apro
Cæso fuisse, nuncius retulit mihi.
Differte gemitus, dicite authorem necis;
An fraus, an ensis? casus, an fatum fuit?
Quid spectat alter alterum? cunctamini?
Furit ira in omnes, cur meos, Theseu, fugit
Meleager oculos? ora cur condit sua?
Tu Castor, ede, sed tuâ Castor fide.
Tu fare, Pollux, Perithoe, Peleu refer,
Leucippe, Telamon, Nestor, Eurithion, Lelex,

Acaste,

Accite, Phœnix, tuq; Laerte impiger,
Aut aliquis alter, nil dolor moueat meus?
Et quisq; gemitu reddit occultos, quid hoc?
Quid est silendum? tacita sic abeant mala?
Celare stultum est, quod statim fiet palam.
Mele. *Me me roga, adsum qui neci fratres dedi:*
Homines, Deosq;, testor, & syluam, & feras,
Inuita tantum facinus admisit manus,
Et cædis ipse primus exemplum horrui,
Miserere mater. Alth. *magne regnator poli,*
Tam lentus audis scelera, vidisti, pater,
Nec vindicasti, digna supplicia expetens?
Nec adhuc trisulcum dextera telum euolat?
Cessas adhuc, inuste? quin rimas agis
Effracta tellus, tuq; dominator stygis,
Specu adimos Tartari sontem rapis,
Meritamq; pœnam refugis? o scelus! o nefas!
Mel. *Miserere mater, fratrum cædis reum*
Habes fatentem, nec sit idcirco salus
Culpam fateri, vincla patiantur manus,
Caci rigente carceris claudar specu,
Nihil recuso, si licet causam tamen
Dicere, peracta quamlibet pœnam impera.
Alth. *O impudentem! causa quæ reddi potest*
Eacinore digna? Mel. *causa dicatur tamen,*
Quæ tollere quidem vt nequeat, imminuat scelus.
Miserere, tantùm postulo causam audias.
Alth. *Miserere? vix iam misera contineo manus,*
Quin in capillos inuolem, & vultus tuos.
Nil deprecaris? sufficit pœnæ dolor,

Noli

Noli excitare, desine, ingratè obstrepis.
Atalanta, fare, causa quæ cædis fuit?
Ata. *Oenëa coniux, Thestij clarum genus,*
Hoc oro primum, vt concitā mentem domes,
Et verba placido pectore accipias mea,
Vt gesta res est eloquar; dolor hic tuus,
Sed culpa fratrum est, non habet factum hoc scelus.
Virtute postquam fetiger nati occidit,
Spolium superbum tergi, & inuidiæ capax,
Me ferre voluit præmium victor suum.
Tulere fratres grauiùs id factum tui,
Et post truces vtrin q; iactatas minas,
Mihi munus, illi muneris ius auferunt.
Regina, veram cædis en causam tibi.
Alth. *Iam iam tonandum est Iuppiter cælo tibi,*
Conuolue mundum, tela Cyclopes date;
Nec cauti ore fulmen emittas manu
In hanc, vel illam, quisquis ex istis cadit,
Meritò peribit, non potest in eos, tua
Errare dextra. unum scelere factum caret
Atalanta: nempè liberat sceleris reum,
Iudex scelesta, tu mali tanti caput,
Materia tute, cædis hic actor fuit.
The. *Mihi reprime quæso pectoris fluctum tui,*
Iram coerce, sint licet nati preces
Satis efficaces, sed tamen nostro precor
Moueare fletu. quod rogo, cuncti rogant,
Pretiumq; meritis, filio veniam petunt;
Moderare tumidum mentis tratæ impetum.
Alth. *Absiste Theseu, quaslibet renuo preces.*

Non ista luctum postulant, ira est opus,
Et si quid ira est grauius, & quid tam graue est
Quod facinus æquet impium? vlciscar tamen,
Vlciscar inquam, dicta firmabit fides.
Piget cruentas aspicere sæui manus,
Viuitúsq; lanij sustines coram, impudens,
Adhuc morari? non meos oculos fugis?
Vos chara, famuli, corpora auferte vcyùs.

Chorus.

HEu cur Superi, fataq; semper
Fera, virtuti dominæ, inuidsam
Voluere dari famulam nequam?
Non vmbra gradum magis insequitur,
Quàm liuor ed.ix magna gerentem.
Aspera latam citiùs feriunt
Spicula metam, scutaq; crebris
Maiora patent obuia plagis,
Scopulosq; altos verberat vnda;
Sic inuidiæ metaq; virtus
Et præda iacet; fulgur montes,
Culmina liuor summumq; petit.
Non est monstris tanta domandis
Causa timendi, quanta malignis,
Non superantur fortibus ausis,
Crescente magis virtute fremunt,
Nulli dentes parcere norunt.
Huic terga daret virtus monstro,
Nisi pulchra foret gloria merces:
Hæc languentes erigit artus,
Hæc facit atros spernere morsus.

Actus

Actus Quartus.

Nutrix sola.

Candentes carbones in Scenã effert

QVám sæuus vrit regiam mentem dolor?
Vbi ponet ira pondus, ac fluctus graues?
Nam cædis ex quo patuit admissæ nefas,
Similis furenti incessit, ac voluit minas
Oenea coniux; sæua vt intrepidum pecus,
Viduata catulis tygris, horrendum fremit.
Nunc ora pallent, ira nunc oculis trucem
Ciet ruborem; vultus est illi modó
Similis minati nescio quid barbarum,
Dirumq; modò quem velle misereri putes.
Cumq; illa doleat, propior est iræ tamen,
Odioq; cumq; lachrymas animi ferus
Siccauit ardor, lachrymas fundit tamen.
Atq; vt carina, quam mari prensam Affrico,
Hinc ventus, illinc æstus aduersam rapit,
Incerta nescit, quâ magis currat viá:
Affectibus Regina sicerrat suis,
Iræq; ponit inuicim, ac tollit minas.
Me iussit aræ fragmina, ac tædas dare,
Stat, inquit, aliquâ victimâ, fratrum leues
Placare manes, abeat vt præsens dolor.

Accendit ligna in ara, in remotiore Scenæ parte extructâ.

Nutrix. Althæa.

ATq; ecce, demens ipsa prosilijt foras,
En vt furoris signa lymphati gerit,

Et omnis aptum specimen affectus capit.
Alth. *Si quaris odio quem tuo statuas modum,*
Propone fratres; quos egonè letho datos
Inulta patiar? liberum hoc ibit scelus?
Fruetur Oenêus filio, vt careat meus
Thestius vtroq́; quám meliùs ambo gemant?
Quónam ista tendit turba Furiarum, inferis
Emissa? cuius vmbra perfosso venit
Cruenta latere? frater est Toxêus, vides?
An sola video? atq; ecce Plexippi venit
Furens imago; quid sibi fratres volunt?
Quid vultis? eia supplicia petitis? dabo.
Manes ad imos ire securos licet;
Abite fratres, quid petitis? inquam dabo.
Desistite oro genibus aduolui, dabo.
Mihi me relinquite, ista sufficiet manus,
Et stipes iste. Nut. *facere quid tandem paras?*
Quonam iste telo tantus vtetur dolor?
Alth. *Hunc intuere stipitem, teli est satis,*
Híc pœna abundé est, híc puta vitam, ac necem.
Meleager ipse stipite sub isto latet.
Quem, cùm iacerem pondus enixa impium,
Ingressa thalamos turba Parcarum meos,
Imposuit igni, pariter & fati colo
Stamen trahentes, paria dixerunt tibi
O nate nuper tempora, ac ligno damus.
Quo carmine effato, exeunt tectis Deæ.
At ipsa stratis territa exilij meis,
Lymphisq́; sparsi; exinde seruatus diu,
Seruauit illum, proh dolor, nimiùm diu.

Hoc

Hoc sola sensi, conjugem hoc semper meum
Celaui, & omnes hactenus visum latet.
Sed referet eadem quæ rapuit olim manus;
Nomen sororis perdidi, at matris manet
Vel hoc peremptos tam diu cessat manus?
Nut. *Regina, clarum familiæ lumen tuæ,*
Nefanda matris pectore exturba ocius,
Quantumq; tentas cogita; natum cremas,
Pene innocentem; cuius extremus dies,
Primusq; laudes nouit, & iuxta Deos
Cui tota cæso patria acceptam refert
Apro salutem, en hunc paras flammis dare.
Quòd stipes omnes iste mortales latet,
An ergo demens credis hoc tantum nefas
Omnia videntes posse celari Deos?
Impunè Superi facinus occultum sinant;
Expers periculi credis, ac vacuum metu?
Erras; quid iste conscius facti locus?
Quid plena mens horrore, diffidens sibi,
Cuncta, expauescens? ipse quid trepidi stupor,
Pallorq; vultus? noctis, & somni minæ?
Vt lateat omnes, haud lateat animum tuum,
Hoc mille testes pectore, hic pœna est satis.
Ecce aderit omni filij extincti loco
Feralis vmbra, cumq; nox operit diem,
Armata facibus veniet, & furijs aget.
Te per tuorum gloriam, ac patriæ decus,
Per iura matrum, per decem mensum graue
Gestamen vteri, perq; natorum oscula,
Per sceptra regni, per beatorum domos,

Per inferorum posita sceleratis loca,
Denig, per omne quicquid in vitâ fuit,
Aut est, erit ue, pectori gratum, precor,
Extingue flammas, excidat stipes manu,
Et te parentem filio mitem refer.
Alth. *Detinuit aures sermo nequicquam tuus;*
Egone vt inulta perferam tantum nefas?
Mors est pianda morte, funus funere,
Furor furore, scelere pensandum est scelus.
Nefanda pleno corruat luctu domus.
Quid has aniles obijcis nugas mihi?
Contempsit istas, quæ prius spreuit mori.
Cruenta mater, at soror dicar pia,
Domusq, nostræ vindicis nomen feram.
Sumpsisse pœnas improbi, & fratrum graues
Satiasse manes efferar, saltem piâ
Iuuabit animum expleſſe vindictâ meum.
Pietatis iste sufficit titulus mihi,
Satis iste tumulo ad gloriam inscriptus meo,
Piæ sororis, impiæ matris vides,
Vltricis Althææ sepulchrum nobile.
Quid sacra cesso? Nut. *nulla te pietas monet?*
Alth. *Excede pietas omnis, infratres tamen*
Maneat sororis, abeat expulsus timor.
Odrysia coniux veniat in mentem, soror
Tua, Philomela, me decet Progne sequi,
Et causa similis postulat similes manus.
Nut. *Istâne credis victimâ fratrum graues*
Placare manes? quando in inferias homo,
Impensus homini est? auunculis, quando nepos?

A matre quando natus? inuidiâ tuos
Onerare fratres, quos colis scelere, apparas.
Gratare potiùs filio genitrix tuo,
Namq; iste vnus sentiat munus tuum,
Periere fratres. Alth. *sentiant munus tamen.*
Nut. *Sensu carent.* Alth. *quin careat is sensu quoq;*
Per quem carebant? Nut. *at grauem fratres prius*
Dedere causam cædis. Alth. *at pœnam tamen*
Ille grauiorem retulit. Nut. *at natum ne cas.*
Alth. *At ille fratres.* Nut. *at minor matre est soror.*
Alth. *Malâ sorore fateor, at par est pia,*
Tu quæris illam, hanc esse me, & dici volo.
Nut. *Sis hæc, & illa.* Alth. *stulta, quî fieri potest*
In hunc, & illos? Nut. *cur tamen in illos magis?*
Alth. *Cùm par vtrinq; est, & dubia pietas, licet*
Eligere vtram vis. Nut. *nec dubia, nec par premit;*
Nam charior em fratre, quis natum neget?
Alth. *Fortasse fratre, fratribus nemo putet.*
Nut. *Nemo est Deorum quem furor metuat tuus?*
Alth. *An non Dianæ sacra facturam vides?*
Nut. *Facis inimicæ?* Alth. *sit licet, Diua est tamen,*
Vnam probare, quod paro sacrum, sat est.
Nut. *At ista pietas impia est.* Alth. *pietas tamen.*
Nut. *Compesce flammas præcipitis iræ, precor,*
Nefasq; dirum mente maternâ excute.
Alth. *Obstrepere pergis? vile cum nato caput*
Mitteris Erebo, nostra ni sacra approbes,
Et capta taceas. maximum fieri scelus
Et ipsa fateor, sed dolor fieri iubet,
Iamq; ipsa nimium segnis in pœnam sui.

Stygias sorores, vosq; ferales Deos
Genibus flexis ad aram precatur. Precor, Chaosq;, & vulgus inferni Iouis,
Quæcunq; fatilege cruciatus pati
Anima iubetur, currat ad natos rogos,
Panis remissis, poscit hoc vestras sacrum
Manusq;, opemq; tuq; quoq; e Superis, Dea
Adsis Diana, te dies hæc postulat,
Tibi nulla maior victima offerri potest.
Erigit se. Vlciscor, ecce vlciscor, & facio nefas,
Et iste nostra viscera cremabit rogis.
At vos recentes, & modò fratres mei,
Sentite manes pignus officij, & piâ
Sorore dignas sumite exequias, precor,
Nunc offeruntur. sed quid hoc? non vult manus
Parere, crescit stipes, ac dextram grauat,
Flammæ recedunt, ignis exhorret nefas.
Ingrata cessas? anime, quid tandem times?
Incumbe in iras, quid stupes? aude, incipe.
Poteris nefandam filio mater necem
Afferre? poteris injicere vinum rogo,
Miserum, gementem? potero, perpetiar, sinam,
Dum morte, fratrum flebiles vmbras queam
Lenire; poteris? melius ah melius dolor
Insane loquere, qui regi non vult furor,
Subire tandem discat inultus rogum.
Quò rapior? heu me, parcite incæptis meis,
Matriq;, fratres, obsecro veniam date.
Meruisse fateor cur pereat, & mors placet,
Sed mortis author displicet, nato parens.
Nut. O mite matris pectus! o quantum tenes

Natura

Natura regnum? nulla vis maior tuâ est.
Occidere pauet filium, occîdi cupit,
Captumq; in ipso limine exhorret scelus.
Alth. *Inultus ergo viuet, atq; ipsâ tumens*
Impunitate sceleris, Ætolam reget
Gentem superbus? sceptra gestabit manu?
Illi iacebunt exiguus vrnâ cinis,
Gelidiq; manes? haud patiar equidem, simul
Et ille pereat improbus, & vnâ patris
Regnique vota, ac patriæ occasum trahat.
Vtinam cremasset primus infantem rogus,
Idq; ego tulissem. munere ætatem meo
Vixisti ad istam, nunc tamen merito tuo
Morere; diri præmium facti cape,
Animamq; partu, & stipite erepto datam,
Aut redde matri, aut adde matrem fratribus.
En horret animus, concutit pectus tremor,
Artusq; torpent; ira discessit loco,
Et tota mater, fratribus pulsis, redit.
Nut. *Quin ergo iam feramus hinc alio pedem?*
Minùs solent peccare, quibus ansa est procul.
Alth. *Ignaua metuis? tuta consilia expaues?*
Quid si parares Regiam cineri dare?
In mille partes distrahere natum? patris
Offerre mensis? cuncta quæ fierent palam,
Grauiora specie scelera, quàm quod iam paras,
Etiam secretum. stipitem demens puta
Rudem cremari; fabulam vanam argue
Dedisse Parcas; error hic mentis fuit
Partu impedita. stipes hic mortem inferet?

Verum

Verùm cremetur, ſtipitem ardentem times?
Cupio, nequeoq;, quod paro factum, horreo,
Et pectus vnum nomina exagitant duo,
Mater, ſororq;: da locum matri, ſoror;
Cur non ſorori, mater? hinc pietas mouet;
Erras, vtriq; eſt, hinc & hinc pietas mouet.
Nut. *Hanc ore mentem Dij tibi ſeruent diu.*
Alth. *Incerta quid agam rapior in varias vices,*
Modò mater iram frangit, & ponit minas,
Modò cruda fratrum vulnera occurrunt mihi,
Et tanta imago cædis; atq; hic quam vocat
Matrem, ſororem cur minùs & illi vocent?
Pares vocabunt, rurſus increſcit dolor,
Et feruet odium; perge; quâ ducis, ſequar.
Fas omne cedat, pelle fœmineos metus,
Dum adhuc caleſcis, dum recens vrget ſcelus,
Animoq; ſilices indue, ac ferrum triplex.
Vicunq;, fratres, vincitis, at en vincite,
Voſq; ipſa pariter, & meum munus ſequar.

Meleager. Philemon.

DVo me, Philemon, grauia ſollicitum tenent
Contraria ſimul. durus, atq; ardens amor,
Et matris odium. ſed quid hoc? ſubito caput
Ardet dolore, nec ferunt crines tegi;
Cerebrum repentè corripitur æſtu graui,
Flammata facies, igneæ lucent genæ,
Oculiq; flagrant. ecce per geminum latus,
Deſcendit altè in viſcera, & renes calor.

Phi.

Phi. *Amore nempé totus Atalantæ cales.*
Mel. *Haud ita, Philemon, maius est, maius malum.*
Populatur artus flamma, per venas meas;
Ardent medullæ, iecore siccato fibræ
Pulmonis arent, ipse distentus tumet,
Vstumq; repens sanguinem lambit vapor.
Detrahite vestem corpori, vestis grauem
Intús calorem cohibet, o vastum malum!
Phi. *Paulisper obdura, subita subitò cadunt,*
Et mox dolorem sortitan vincet sopor.
Mel. *Nullum sopori tempus, aut spatium dabit*
Immensus ardor, alitur, & crescit lues,
Et vrit intús, qualis Aetnæo vapor
Exundat antro, talis, en talis furit.
Heu quis relictâ scorpius cæli plagâ,
Cancerue torrens viscera exurit meæ?
O ter beati, dubia quos letho dedit
Fortuna belli? morior, & nullo tamen
Transmissus ense. siccine impendi meam
Voluere vitam fatâ? sic nostram placet
Abijcere mortem? perq; tam turpes mihi
Decurrere colos? quo pereo miserè modo?
Phi. *Inhibe querelas sæltem, & ærumnas preme,*
Malisq; tantis pectus inuictum refer.
Mel. *Eheu, quis iste est gloriæ finis meæ?*
Hic fructus operum? summus hic vitæ dies?
Huc spes amoris rediit, Atalante, tui?
Vtinam cruore sæua luisset meo
Oetæa pestis. quàm propè a fato steti
Nuper decoro? perdidi mortem miser

Toties

Toties honestam. nam mihi quouis libet
Malo perisse, dummodò ignauus dolor,
Vltisq; lethum morbus haud mandet mihi.
Phi. *En, vt supremum non timet lethi diem*
Animosa virtus; pessimi authoris pudet.
Althæa stipitem extrahit.
Mel. *Quid hoc? recessit morbus, & multùm calor*
Vires reposuit, nec tamen solitus manet.
Quid esse credam? virus? an potiùs putem
Me fascinari? an aliquod est aliud nefas?
An ille monstri nuper extincti cruor
In me rebellat? illa me forsan lues
Peremptа perdit. has mihi pœnas aper
Insligit, apri vindicat cædem Dea.
Heu parce tandem, parce, iam satis est, Dea.
Quid me studentem patriæ, vt decuit, grauì
Persequeris odio? quod nefas in te meum est?
Rursus injicit.
Phi. *Quodcunq; fuerit, lator extinctum ocius,*
Deosq; supplex ne redeat omnes precor.
Mel. *Frustra precaris. vrit ecce iterum fibras,*
Et rediit ardor. flamma quæ æstiferi canis
Tanta est, leonis terga cum Titan premit?
Quæ tanta Lemnos? quæ poli plaga torridi?
In ipsa iacter maria, & altos gurgites,
Medioq; in amnes. quis sat est Ister meo
Incendio, aut quis Nilus, aut terram ambiens
Oceanus ipse? nulla vis nostros aquæ
Restinguet æstus, omnis arescet liquor.
Phi. *Quò grauius istud, hoc erit breuius malum,*
Breuitate grauitas sæpe pensari solet.
Mel. *Meaijs oberrat credo visceribus meis*

Aper,

Aper, Philemon, cumq; apro, centum fera,
Venabula, canes, omnia, & nihil est tamen.
Ignosce tandem mater, has panas luo
Vtriq; fratri; forsan his, licet æstuans,
Irata, minitans, ipsa detractum velis.
Phi *Miser Philemon, tanta Meleagrum premunt,*
Nec iniqua faciunt fata me socium mali?
Mel. *Sed en, quis iste verberum crepuit sonus?*
Adsunt ab imo Tartaro vltrices Deæ.
Monstrumq; manus, ecce subiiciunt faces
Plexippus, & Toxeus, & ipsas incitant
In odia Furias, & graues pœnas docent,
Stimulantq; iras, & nimis lentas vocant.
Etiamne manes odia post mortem gerunt?
Adhuc annunculi in meum viuunt malum?
Adhuc rebellant? o leuem dextram nimis!
Megæra, cur me sæua persequeris face?
Heu pare e tandem, sustine stygias manus,
Ipsosq; mecum comminus sine congredi,
Vt bis subimos Tartari mittam specus.
Stringatur ensis, nuda sufficiet manus,
In orbe vestrum veniat hic alter mihi,
Veniat vterque fugitis ignaui, sequar.
Phi. *Quo rapitur amens impetu? heu mentem quoq;*
Sensumq; misero, nimius excussit dolor;
Dolor iste furor est; sequere, quid iam stas miser?

Aliqua mora sit stipiti cremando, vt in morte Meleagri deco-

Althæa. Nutrix.

Benè est, peractum est; iusta persolui, satis,
Satis habet ille. quid ais? an tutum est meos

Ma- rũ *seruetur,*

Mactare fratres? anime, quid subitó stupes?
Vindicta parta est; hoc mihi, factum execror,
Quid misera feci? misera tam seró piget,
Feci; quod vnum restat, ac sceleri deest,
Et ipsa sequere, morte cumuletur nefas.
Nut. *Regina, cohibe mentis effrænæ impetum,*
Animum coerce, iam satis sceleri datum est.
Alth. *Decreta mors est, pariter & mortis via.*
Cruentus ille pugio in thalamis meis,
Ille ille mucro, quo iacent fratres, iuuat.
Hunc dextra poscit, huic decet ferro immori,
Vno perire quám mihi telo placet?
Gratabor ecce filio tandem meo,
Lætare Meleager, tuo penas luam
Mucrone, mecum est, faciet, vbicunq; est, scelus.
Tu fida Nutrix, capta fac nostra oculas.

Chorus.

QVantus irarum cumulus minãtum,
Fœminam versat semel incitatam,
Cum dolor fœnum dederit furori?
Impotens fertur similis procellæ,
Exulat longé pietas, pudorq;,
Mitior Scylla est, simul ac Charybdis,
Nulla non vlla melior ferarum est.
Nulla vis dirì grauior veneni;
Arcta non illam retinent furentem
Vincla naturæ, neq; iura matris.
Nulla tam cæli est violenta clades,

Sin

Siue deſcendunt pluuiæ niueſq́
Grandini miſtæ, rapidiq; venti,
Siue cùm turres grauiore flagrant
Fulminis telo, vetereſq; fagi.
Saeuior nulla eſt pelagi procella,
Cùm Noto ſtridens Aquilo minatur,
Et fretum venti rapiunt abimo;
Iamq; turgeſcens mare tingit aſtra,
Iamq; ſubſidit, premiturq; ad Orcum.

Actus Quintus.

Oeneus. Senex.

QVod ante nunquam credidi in rebus meis
Potuiſſe ſortem, vixq; iam credo mihi
Auſam fuiſſe, pertulit id totum miſer.
Fortuna, ſic eſt? tanta permiſſa eſt tibi
In me tyrannis? ſicne verſari domum
Libuit beatam? pariter extremam placet
Incipere, & uno perficere cladem malo?
Semel incitata proruis demens Dea?
Tua iſta verò malitia qualis fuit?
Periſſe natum, pars quota eſt tanti mali?
Rapuiſſe nihil eſt, niſi etiam ſubitò occidat?
Primo in iuuentæ flore, & ætatis bono?
Ipſo in triumpho laudis, & victoria?
Tam ſingulari flebilis lethi modo?
Peiore letho? ſic ſoles rapere improba?

Sen.

Sen. *Miserande Princeps, pauca te fidi precor*
Vi verba famuli, mente placatâ audias.
Subitò quòd obut natus, haud cecidit malè;
Haud passus ille est mortis ignauæ moras.
Quòd iuuenis obut, hoc tulit certè boni,
Quod hanc senectæ miserum euasit pigræ.
Quid victor, equidem morte felicem reor;
Quo potuit ille tempore extingui magis,
Quàm curru in ipso gloriæ, exuuius onans,
Ipsis in oculis Graciæ, palmam ferens?
Par ille Superis, cùi tuit lethi dies,
Et laudis eadem; quòd modum lethi arguis,
Lætare potiùs, titulus accessit nouus.
En geminus apri victor, ac mortis tacet.
Nec imputatur ista fortunæ mala.
Humana fecit inscitia cælo Deam
Fortunam, & error numen affinxit sacrum.
Non prauidentem si quid aduersi opprimat,
Id omne Sorti ascribitur, vanæ Deæ.
Fortuna nulla est, alma nisi prudentia
Sit mane nomen; si sit, & curã gerat
Cæleste numen; nil temerè nobis venit.
Quacunq; miseros fata mortales premunt,
Ea crede Diuum nutu & arbitrio regi.
Oen. *Fas ergo ipsos vertere querelam Deos,*
Expostulare facinus ingratum libet.
Huc illa, Superi, dona redierunt mea?
Hæc victimarum cura? congesti foci
Hæc thuris habita est? mensa conuiuas mea
Accepit, en hoc præmium hospitij datis?

In-

Ingrata Pallas, & Domina frugum Ceres,
Et Bacche pollens, vosq; Dij, quò cæteris
Potentiores, hòc magis sceleris rei,
Sensistis? atq; arcere potuistis nefas?
Annoluistis? an magis vestrum est scelus?
Qui non repellit, cùm potest, damnum facit.
Sen. *Quid? innocentes arguis sceleris Deos?*
Frana dolorem; numquid id nihili putas,
Quòd liberarunt patriam tanto metu?
Virtutis ecquid filij id credidisti?
Erras; Deorum viribus cecidit fera.
Oen. *Minus expulerunt, vt malum maius darēt?*
Aprum abstulerunt, natus vt pereat meus?
Hac lege Superos petere, mortales decet?
Hac impetrandi conditio voti datur?
Hic mos Deorum est? sic opem ferre assolent?
Cùm sæuiunt, & cùm iuuant, semper mali,
Magis iuuando, summe prohrector poli,
An me quis hominum fata lugentem mea,
Miserum, gementem, conspicit? certè dies
Hæc prima vidit, quodq; me cruciat magis,
Diana vidit. Sen *pectori tandem impera;*
Graui Deorum tota iampridem domus
Vrgetur ira: quid statum impulsum trahis,
Et acuis odia? Oen. *cuius vlteriùs mala*
Effluere nequeant, tutus hunc portus tenet.
Ita constituto, quis cadere casu potest,
Quare ipse Superos metuat, aut quare colat?
Vtrumq; frustra est, & animi nimis anxij.
Absumpsit in me dura sors, quicquid potest.

Quis tam superbus Calicola, quicquam valet
Malis meis afferre? iam nec tu potes
Diana, & adde si quid ad luctum potes.
Nato perempto, luce non gratâ fruor.
Nam cur supersim? causa cui vitæ perit,
Is pereat vnà, mors ei lucro venit.
Oen. *Quid ipse fatum afflagis, atq; onerat tuum?*
Concussa nutat, sed tamen constat, domus.
Coniux, penates, liberi restant tibi,
Restatq; regnum, dèesse quid credam tibi,
Nisi te? parum hoc est, quod rogo, felix mane.
Quisquam? felix esse noluerit? quid hoc?
Cur sponte mortem accersis? hoc quod iam dolet,
Quantum malorum est? nil adhuc fatum absolut,
Si conferatur, quæ tibi restant, bonis.
Oen. *Nihil absolverunt fata? nihil est quod fleat?*
Dolor iste leuis est, iam furere par est magis.
Coniux, penates, liberi, regnum, omnia,
Per me ruant; causa illa, cur starent, iacet,
Meleager vna; coniugem, natos, ruinat
Patriam, penates, cuncta, congerere in rogum.
Hæc ne patrem, Regemq; dare nato decet,
Nec omnia placent impio, Meleager, tibi
Regale sumus ducere, & nihil est satis.
Tua vita maior vltimâ quâuis fuit;
Tua mors, ruinis omnium grauior fuit.
Sine te meorum, nate, nil dulce est mihi?
Egone superstes perfruor regni bonis,
Quem te anteisse decuit? ego vino senex?
Tu iuuenis, vmbras inter, & manes, nouas

Meleager

Meleagre, ſedes quæris, expers omnium,
Miſerabilis, inops, ſquallidus, nudus, miſer,
Auunculis inuiſus, hâc vitâ carens,
Ipſiſq; vitæ gaudijs, quêis par fuit
Multos per annos Regis hæredem frui?
Hæc ipſe capio? tu cares? nec dum paro
Ad Tartarum detrudere inuiſum caput?
Sen. *Moderare tandem pectoris ſæui impetum,*
Tereprime: non eſt, vt putas pietas, tuam
Abijcere vitam, filij cauſâ tui;
Quin illud eſſe crede pietatem magis,
Piaculſta nato facere, & exequias dare.
Oen. *Quid me parantẽ, quæ refers, facere admones?*
Vnâ cremarem Regia, ac nati ſtruem,
Satis eſſe credis? vrbis, atq; orbis rogum
Inſtruere vellem, cuncta Meleagro pyram
Incenderem: perire tibi, nate, omnia
Optare poſſum, tanta congeries tuum
Inſunus iret, vt tuos illâ queam
Leuare manes. eſt quidem minùs is miſer,
Qui nunq; mæſto funeri, ac flammis datur,
Ardente patriæ pariter, & mundi rogo.
Te tanta ferrè inſta, Meleager, decet.

Althæa. Oeneus. Senex.

ME me iuuentus Graia, me telis petat;
Adhuc laboris reſtat vlterior gradus,
Grauiorq; primo: peior en ſupereſt apro
Aper interempto, ſæuior reſtat fera

Prime cruore nata, quid cessant manus?
Cognate cives, saxa, & incensas faces
Iaculatur omnis turba, & Æolum genus.
Corripite tela, congerite quicquid furor
Iustus ministret, obruite diruum caput.
Impune iam nascentur immanes apri,
Impune rapient; status ingrati tamen?
Oen. *Nescio quod animus maius exhorret nefas.*
Alth. *At tu corusco fulminis telo pater,*
Matrem sceleratam tolle, nec minimum expedi
Quo sæpe tecta petis, & insontes casas,
Sed quo cupressos sternis, & iuga montium,
Aut quo Gigantes montibus quondam pares
Cecidere nasti, fulmen hoc dextra evolet.
Inusitatum postulat pœnam scelus
Non usitatam, vindica insolitum nefas.
Tam lente, cessas? ecquid exaudis pater?
An otioso cura tibi rerum excidit?
An scelere gaudes? hanc tibi labem elue.
Sen. *Cor trepidat intus, ista quo vertant timens.*
Alth. Sed unde catus iste processit minax?
Aut cui minatur? patria in vultus meos
Decurrit omnis, hinc & hinc cives fremunt,
Et tota poscit vindicem Calydon suum,
Pœnasq; poscit. me petit ferro pater,
Me natus, in me matris armantur manus,
Soror execratur, odit & frater nefas.
Iam parce patria, mox tibi pœnas dabo.
Oen. *Althæa, quis te sceleris instigat furor?*
Quid pugio iste? quidue vociferatio?

Quid

Quid imprecatæ tot tibi diræ volunt?
Alth. *En legite ciues, tuq; præ reliquis pater*
Miser nefandâ coniuge, stupendum accipe
Fatum, meoq; scelere prodigium magis.
Horreo profari: tu lege, agnosces manum,
Ne forté dubites, aut suâ careat fide,
Scriptum cruore dextra signabit meo,
Et hic sigilli pugio implebit vicem,
Fratrum, sororis, matris occisor malæ.

Furibunda exit in Regiam, manentibus Matribus.

Oeneus. Senex.

DEhisce tellus, tuq; tenebrosæ potens,
Dominator aulæ, pande Tartareos specus,
Et me scelestum coniugis diræ virum,
Ad Chaos inane merge, & infernam Styga.
Ego te peremi, nate, quia matrem dedi
Quæ te peremit, scelere perijsti meo.
Vix ipse tantum, vix adhuc credo malum.
Althæa potuit? potuit hoc mater nefas?
At relege: natum, Althæa, Meleagrum, abstulit?
Hoc credat aliquis? anime, quid factum stupes?
Miser vides fecisse, quid fletu vacas?
Cur lachrymarum non rigat flumen genas?
Quin fles? quid hoc? num siccus hæc pateris mala?
Iam flere prorsus nequeo, iam lachrymas dolor
Absorpsit omnes, cúm velis, quantum est mali
Non posse fletum exprimere? iam pessundatus,
Oppressus, infælix videor, & iam vndiq;
Obsessus omni clade, iam vulnus mihi

Syngrapham proiectam tollit senex, perlectam tradit Matribus astantibus.

Alté est adactum, iam ferar veré miser.
Hoc illud, vmbra quod socrus fleuit, nefas,
Hoc dudum Aruspex horruit, metuit Senex.
Pars illa cladis, quam modó sensi, quota est?
Votum est sub illa. morte Meleagri, nihil
Potuisse grauius credidi sortem, tamen
Gradus est; malorum maximum hũc cumulum reor
Quód abhominandum fecit authorem necis
Fortuna. cur me non ad æternas domos
Pallentis Erebi mitto? num maius nefas
Adhuc patrandum est? ecquis vlterior gradus?
Sen. *Depone tumidas pectoris sæuiminas,*
Tibiq; mortis impiam mentem excute.
Oen. *Quid verba perdis? hoc mihi fixum sedet,*
Quod iam decet fecisse. transcendi mea
Viuendo fata, viuo adhuc tamen? & diem
Hominesq; non relinquo? sed linquam breui.
Tamen hoc in istis capio solamen malis,
Despicere quód iam Cælites omnes licet.
Sen. *Ah siste tandem, reprime affectus precor*
Animi superbos, iamq; pietatem cole.
Oen. *Hunc nostra fructum scilicet pietas tulit,*
Vt esse tanto me pium nolim malo.
Discede pietas pectore ex nostro ociùs,
Discede tandem, dura, & infælix ari,
Infrugifera, seruilis, in natum tamen
Maneat parentis, in Deos, plané impium
Iuuat vocari; me colere Superos decet
Miserum, senemq;? num senex metuit Iouem?
Sen. *Colendum vtriq; numen inprimis reor.*

Oen.

Oen. *Miseria vicit iam metus omnes mea.*
Et hæc senectæ quantula est nostræ mora?
Quam, sæua né vis rapiat, abrumpam mihi.
Nam quid hic vltra detineo manes meos?
Aut quæ voluptas esse mihi vitæ potest?
Proin, nec vlla vota Cælicolis fero,
Nec si velint nocere, quo possint, habent.
In me Deorum turba, iam vires suas
Exhausit omnes. quid meas frustra preces
Perire patiar? quid carent conuitio?
Detestor omnes, teq; Latoná satam
Longé ante reliquos, ecce quas fundo preces,
Audite Superi, sed quid? Eumenidum cohors
Excessit Erebo, propiùs ac propiùs, mea
In ora, tendit sæua Tisiphone faces,
Sudesq; in orbem versat, & vulsos comâ
Tortos in imum conijcit colubros sinum,
Flammasq; & argues spargit. at tellus labat,
Et Aula tectis crepuit, & subitâ ambulat
Vertigine domus, titubat, errat, sedibus
Conuulsa proprijs, ecce iam nutat minax.
I, profuge, curre, siste, quó vadam miser?
Iam nunc ruinam ducit, & lentâ morâ
Euersa lapsu funditus prono cadit,
Audite sonitum, tota iam moles meis
Incumbit humeris, & caput nostrum obruit.
Sen. *Remitte inanem pectoris vani metum,*
Defixa solidé vi suâ constat domus.
Oen. *Ecce, alia clades; statuitur medio aureum*
Cælo tribunal, sêdit in pœnas meas

Frequens Deorum curia, & causam petit.
Diana cœtum cogit, & questu graues
Exacuit iras, causa iam dicta est, nocens
Pœna reseruor. quæritur pœnæ modus.
Sententia placet varia: pars Ixionis
Vertiginosam Thessali suadet rotam.
Pars alia, saxum Sisyphi, aut diram senis
Famem, sitimq; Tantali: huic Tytij placet
Æterna volucris, Belidum hinc vanus labor;
Vrget Diana, singulas mites vocat,
Deposcit omnes, sola saturari nequit.
Sen. *Vt animus horret conscius scelerum Deos,*
Et quæ meretur, ferre sibi fingit, mala?
Oen. *Sed ecce, geminus Titan effulget polo.*
Et gemina duplices extulit Calydon domos.
Vbi sum? quid hoc est? en retrò soles meant,
Condunt q; vultus, atra nox profert caput,
Miseriq; cæcum rebus infertur Chaos.
Horrenda venti bella cum nimbis gerunt,
Omniq; parte Iuppiter dirum intonat,
Iaculatur ignes, quicquid aut arcu potest,
Aut igne patrio, tentat id Phœbi soror,
Frater sagittas præbet, & dextram adiuuat.
Sen. *En, vt superbos vltor insequitur Deus,*
Et in furorem desinit nimius tumor?
Oen. *Nunc animę perstа, rebus audendum vltimis.*
Nunc nunc furentes arma Titanes ferant,
Me duce, secunda bella cum Superis gerant.
Furor, ira, luctus, miseriæ, vires dabunt,
Solus Typhœus expulit cælo Deos,

Cum

Cùm se in figuras verterent pauidi nouas.
Pastoris ipse Iuppiter formam induit,
Bacchus sub hirco latuit, in coruo tuus
Diana, frater, ipsa latuisti improba
Sub fele, niueâ Iuno sub vaccâ, Venus
In pisce tremuit, Ibidis pluma Deum
Texêre volucrem, quisq; sibi metuit miser.
Iamq; ecce fugiunt: hoc petam montis iugum
Æquale cælo, detraham Superos polo.

Matres Calydonides.

QVis te furijs Deus insequitur
Miserande pater, domuiq; tuæ,
Gentiq; grauis? te, Meleager,
Semper flendi sacra cupido est,
Tu lachrymarum causa perennis,
Tibi perpetuus decidet imber;
Nullus flendi sit modus vnquam,
Quia tanta modum vicit clades;
Expedit inter lamenta mori,
Plangite matres.
Hoc continuis egimus horis,
Totas noctes, totosq; dies
Miserè flendo duximus, ex quo
Mœstâ iacuit frigidus Aulâ.
Nec iam solitus nobis satis est
Planctus, solitum vincere morem
Iuuat, ingeminat sæua dolorem
Causa doloris, pedelymphato

Ire per vrbem, crine soluto
Vlulare decet.
Ingens terra decus Aetolæ,
Columen rerum, spes Calydonis,
Iuuenum gloria, sius, & lumen,
Ille ille apri domitor sæui
Occidit; cheu rumpite vestes,
Pectora duris tundite pugnis.
Grauius nunquam fortuna dedit,
Cur iusta sonent verbera planctu,
Lacerate comas, unguibus ora
Fædate auidis; vrbis, & orbis
Plangite cladem.
Meleagre, domus decus Oeneæ,
Generosus vbi est ardor, & oris
Decor egregius? periere ista;
Reliquum nihil est, præter luctus,
Lachrymæq; graues. has pia Matrum
En tibi pleno turba gementum
Gurgite fundit. sed quo Nutrix
Confugerunt.

Nutrix. Matres Calydonides.

EHeu, beatos premere cum cepit Deus,
Simul vrget; aliud oritur ex alio malum,
Semperq; crescit; quos habent magna exitus?
O quale Superi numen in terris habent!
Quanta est potestas, siue contempti parant
Expetere pœnas, siue placati pios

Beare?

Actus 2. Scena 1:

Hippolytus solus.

BEatus ille, qui procul strepitu aulico,
Venationi liber egregiæ vacat.
Quanta est voluptas, grauibus admistos sonos
Audire acutos, cornuum, iuuenum, canum,
Per antra cùm, vallesq́, montesq́ editos,
Pleno feruntur ore? quis pulsus lyræ,
Cytharæue, ad aures gratior veniat meas?
Tum suauitatem, quanta commoditas subit
Venationis? corporis vires alit,
Firmatq́, & aures acuit, atq́ oculos simul,
Peditisq́ & equitis bellici speciem refert,
Et discere, & perferre militiam docet.
Sed nescio quis saltui gressum intulit.

Pandarus. Hippolytus.

O Magne ruris, sed melior vrbis decor
Hippolyte, salue! semper incæptis tuis
Adsit Diana facilis, & quoduis nemus
Tibi sauciandas præbeat abundè feras;
Montana Satyri numina, & Panes tibi
Faueant, & apri, non nisi infixos, tui
Ictus lacerti sentiant; Nymphæ tibi
(Quanquam puellas diceris rigidè nimis
Odisse) laticem, quo sitim releues, ferant.
Hip. *Tuam salutem, quisquis es, gratam mihi*

Accipio, quamq; vis tibi, reddo meam.
Sed in vrbe, si tu forsan ex vrbe aduenis,
Eequid noui est? num Theseus rediit pater?
Pan. *Hippolyte (verbis deprecor veniam meis)*
Nec ille rediit, nec, diu abfuerit licet,
Spes vlla reditus, cura cui planè excidit
Patriæ, & suorum. nempe Perithoum suum
Sequitur, tibiq; pariter ac Phædræ tuæ
Illum anteponit, vera si liceat loqui,
Fidemq; tactis abdicat thalami suis.
Nec sola Phædram tangit hæc iniuria,
Vtriq; damnum rebus in magnis dedit.
Fratrem ille Phædræ sustulit; prædam feris
Liquit sororem; prima, sed genitrix tua
Inter puellas quæ securigeras fuit,
Si quæris vbi sit, Theseigladio iacet;
Nec eum iugali iunxit is tadâ sibi,
Cur? nisi paterna regna ne caperes nothus.
Tibiq; fratres addidit, sed quos tibi
Præferre quærit, Phædra postponi cupit.
Hipp. *Absiste, quæso, vulnus antiquum domus*
Refricare nostræ. probra quis stirpis suæ
Libenter audit? Theseus amico fidem
Præstat, suisq;, cùm dabit reducem Deus,
Præstabit omnem, patriæ, Phædræ, ac mihi,
Et ipse, quantum debeam Phædræ, scio.
Pan. *Debes profectò, Hippolyte, vel quantum potes*
Magniq; amoris non leues sensi notas.
Namq; illa vultum, quem vocant aliæ tuum
Rigidum, trucemq;, laudat vt fortem, & procul

Iube

Iubet esse iuuenes, fœminæ ritu, effluis
Comptos capillis, & coli modico putat
Formam virilem, quam, tuas etiam comas
Sine lege positas, oris egregij tuum
Istum rigorem, & puluerem, & solem pati,
Decere melius, Hippolyte, multò putat.
Seu colla fræno dura cornipedum regis,
Miratur equitem; forte seu iaculum iacis
Laudat lacertos; denique & quicquid facis,
Effert, iuuatq; te modo nimiam tuâ
Istam exuisse mente duritiem expetit.
Virtutis expers gemma, cui prodest micans?
Vigoris expers herba, cui prodest virens?
Amoris expers forma, cui prodest nitens?
Arcum Dianæ suadet imitari tuæ,
Quem nisi relaxet, mollis erit, & languidus:
Sic istud arcus instar intensi tuum
Pectus, remitti gaudio Veneris cupit.
Hip. *Equidem nouercæ quod placeo, munus suum est,*
Onusq; nostrum, cura quem maior subit,
Vt me parente tam bonâ dignum geram,
Referamq; tantis gratiam meritis parem.
Nec enim nouercæ, sed dehinc matris locum
Supplebit; vnum hoc oro, permittat mihi,
Diuina cultus studia syluestris sequi,
Iosâq; vitam colere naturâ duce.
Pan. *Mundi parentem si ducem libeat sequi,*
Indulsit illa, non modò Venerem omnibus
Hanc coniugalem, sed vagam syluæ feris,
Promiscuamq; nata fit cerno patri

Coniux, & vtero dama, quem peperit, subit.
Quanquam feruntur esse quoq; gentes, vbi
Et nata patri nubit, & nato parens,
& iuncta crescit vinculo pietas duplo.
Hip. Lex alia nobis, alia dominatur feris;
His appetitus, ratio nobis imperat,
Iusta, & leges sancta disponit tori.
Pan. At nemo Amorem spernat adolescens Deum,
Qui maria, terras, pariter & cælos beat;
Mundi catena, generis humani sator,
Diuinus ardor, refugium rebus malis,
Deus secundis, maximum iuueni bonum,
Facundiæ largitor, ingenij parens,
Humanitatis norma, fons constantiæ,
Vitæ magister, quo sine, voluptas iacet,
Et gratia omnis, ardui cos pectoris,
Virtutis altæ calcar, & fax gloriæ.
Hip. Humana vanum posuit in cælo Deum
Libido Amorem, matre desidia editum,
Luxuq; patre, maximum Superis probrum.
Quo nulla terris grauior incubuit lues:
Insania diuturna, lymphatus furor,
Blandum venenum, militia turpis, ingum
Seruile, pax infida, sollicitum mare,
Negotium otiosum, iners delirium,
Damnosa morum pestis, obscænus calor,
Ignauiæ magister, & scelerum artifex;
Sed, nisi quid aliud me velis, comites peto.
Pan. Certè, vt tabellas pectore has placido legas;
Quas animus ad te, quantus est, totus tuus
Dedit, rogatq; nomen ad tempus tegi.

Chariſsimo ſuo Hippolyto S.

Hippolyto mittit pectus ſuffixa ſalutem,
Littere ſi forſan, quà careat noſa, poteſt.
Ne quaeras qua ſim, pudet ah pudet addere nomen,
Tractari ſine quo iam mea cauſa poteſt.
Nolim ante eſſe tibi (quid enim me noſſe iuuabit?)
Cognita, quàm uoti ſpes mihi parua foret.
Perlegis? an ſeritas prohibet tua? perlege, quaeſo,
Non hoc hoſtile eſt littera ſcripta manu.
Hyp. *At impudicè littera haec ſcripta eſt manu.*
Quam nemo frontis perlegere caſte queat.
Nec, cuius ipſum pudet, & meritò, libet
Regare nomen, latere, atq; habeat ſibi.
At tu miniſter ſceleris admiſſi, effuge.
Quod niſi pudorem fata tua traherent meum,
Dignas cruentâ morte mihi panas dares.
Et uix cohibeor, non meos oculos leuas?

Hippolytus ſolus.

O blanda uox, turpiq; lenonum ſides!
O faminarum ſemper impurum genus!
Molle, & cruentum; frigidum, & mundū cremās;
Vile, & ſuperbum; debile, & quantum potens?
Timidum, & rebelle; nobile, & conſtans malo;
Stolidum, & aoloſum; pertinax, brutum, impudens,
Procax, auarum, perfidum, ingratum, impium.
Immenſa mundi, & generis humani parens
Natura, quin nos arborum potiùs modo
Tellure naſci ſponte uoluiſti editos,

Quám serere stirpe surculos tali nouos?
Cur fœminâ vti, tanta voluisti artifex?
Draconis antrum potiùs, & tigris libet
Subire, & vrsæ turpis, & diram priùs
Sedem leænæ, & si vel his grauior fera est;
Nostro scelestam quám toro vxorem pati.
Tantum periclj iuuenibus non imminet
Ab igne & vndâ, vigq; nec fraude hostium,
Nec aveneni peste, nec morbi luc,
Nec præcipitio, nec feris, nec fulmine,
Nec à ruinâ, nec malis vsquam artibus,
Quãtum à dolosis mulierum insidijs venit.
Si nauta scopulos, agna si vitat lupum,
Si retia feræ, si canem cervus fugit,
Hamumq; pisces odit, & laqueos auis;
Quin noxiorem fœminam fugitis, viri?
Effugite iuuenes, o viri, lenes viri,
Nimiumq; acutes!m seret, & vestiri pudet;
In messe serpens, anguis in gremio latet.
Totam mariti mulier euertit domum,
Stirpemq; totam persequitur, odio viri.
Quis fœminarum multiplex narret scelus?
Non tota tellus charta si, & cælum foret,
Et omnis atramẽtũ aqua, & flumina, & mari,
Lignum omne calami, quisq; scribendi artifex,
Nequitia vel sic fœminea queat exprimi.
Sed rete rupto, vereor in foueam incidi.

Nais. Hippolytus.

O Digne iuuenis, esse quem numen putem,
Seu forte verum numen es, certe potes

Phabus

Phœbus videri; siue mortalis sies,
Qui te profectò genuit, is felix fuit,
Beata, quæ te mater in lucem edidit,
Beata nutrix, quæ tibi dedit vbera,
Felixq; frater, & tibi si qua est soror,
Beata tellus, quam premunt plantæ pedum,
Iaculumq; felix, quod iacis, felix fera
Tibi ferienda, quæq; tractatur manu,
Beatus oculo quisquis aspexit tuos.
Sed illa cunctis, illa longè cæteris
Beatior erit, sponsa quæ fuerit tua,
Lectiq; quam fauore dignaris tui.
Si desponata nulla sit Thalamis adhuc,
Ego sim, iugalem pariter ineamus torum.
Hip. *Ne tu videris magna, quæcunq; es, tibi,*
Et pulchra nimium, quæ petere ducis leue,
Vt studia vitæ mutet Hippolytus tibi,
Et castitatis claustra refringat suæ.
Na. *Hippolyte, fateor maximum est hoc quod peto,*
Meq; ipsa tanto munere indignam puto,
Sed tax amoris fecit audacem nimis
Hippolyte; nec enim est, vt putas, id castitas
Vitam efferare, & deterere formæ bonum.
Tam manè nunquam propero, nunquam vesperi
Tam sera redeo, quin nemore te conspicer
Sudantem, & altâ voce clamantem canes,
Nec te veloriens, vel cadens, lecto potest
Videre Phœbus, tanta venandi est sitis.
Peccas honestâ mente; nec mens hæc tamen,
Tam corrigenda est, quàm manu leni, in viam

Flectenda rectam; castitas casto placet;
Quid ni placeret? sed metus vanos tibi
Hoc castitatis nomen ambiguum creat.
Simul ista posuit, suscipere prolem, Deus,
Et esse castum; purior nec caelebi,
Quàm coniugali castitas splendet toro.
Maritus esse pariter, & castus potes.
At te voluptas tanta si nemorum capit,
Et nomen hoc in te voluptatis cadit,
Cur non voluptas coniugis chara subit,
Venationis quàlibet maior tuae?
Hippolyte, nescis quod fugis vitae bonum,
Hippolyte, nescis; itaq; idcò certè fugis;
Roga maritos, & homines simul, & Deos.
Hip. *Nec virginis, nec ista vox ad virginem est.*
O castitatis sanctae violatae Dea
Vindex Diana? tanta, tam patiens vacas
Audire scelera, & nemore patrari tuo?
Na. *Hippolyte, non est fama, si quaeras, mea*
Mendosa, nemo criminis vitam arguat.
Sed vror intùs fateor, & pectus trucis
Adhuc amoris vix subit primi ignium;
Minùs apta nostro sarcina hac animo sedet;
Libamina ad te prima servatae affero
Famae, & iuventae, tu pariter ad me tua
Adfer & vterq; carpat vtriusq; hanc rosam
Primam, integramq;, mutuâ vramur face.
O quàm iuvaret igne tam pulchro mori?
Namq; ipsa Iuno, si mihi fratrem, ac virum
Concedat, ipsi videor Hippolytum, soli

Iustè

Iuſté anteferre poſſe. tu noſtris, precor,
Nymphas amare ne puta in ſyluis nefas.
Aurora Cephalo, Salmacis puero ſuo,
Adonide Venus, Latnio iuuene, & tua
Hippolyte, quondam exarſit arcitenens Dea.
In tam beato, quæſo, numeremur grege.
Miſerere, amorem Naidis faſſa grauem,
Nunquamq; faſſuræ, niſi hanc furor vltimus
Vocem expuliſſet; non loqui, durum fuit;
Loqniq; durum; cohibuit linguam pudor,
Amor incitauit: mors, tegi affectum, fuit;
Et mors repelli: ſpeſq; ſe mediam intulit,
Et, loquere, dixit, forſan is mitem tibi
Præbebit aurem; ſin minùs, præſtat tamen
Mori loquutam; reſtiti miſerè diu,
Et plus, puellam poſſe quam credas, tuli.
Sed victa cogor expetere votis opem.
Seruare amantem, perdere idem tu potes,
Cui me reſeruas, dic; ne tantùm, precor,
Perire digna materia videar tibi.
Hip. *Vnde iſta ſexus dira fœminei lues?*
O impudicum Naidum ſemper genus.
Quæ ſæpè iuuenes fontibus claudunt ſuis.
En quò recedam? quos ſpecus quæram miſer?
Vbi me recondam? cui nec in ſyluâ locus,
Nec in vrbe tutus, peſte tam blandâ vacat?
Suſpecta poſthâc erunt & nemora hæc mihi,
Suſpecta poſthâc antra, ſuſpecti rubi,
Suſpectus ipſe mihimet; & iam ſuſpicor,
Ne molliorem, quàm decuit, auram dedi.

Quin

Quin ergo vana colloquia tandem amputo?

Nais sola.

NEC tibi, superbe, mater Antiope fuit.
Sed hirta duro Caucasi tigris iugo;
Nec te putarim Theseo natum patre,
Sed genitor aliquis taurus indomitus fuit.
Pudibunda vultus, i, tege in syluis tuos
Despecta Nais; Hippolyte, quæ laus erit,
Quæ gloria tibi, mortis inscribi meo
Causam sepulchro? plenus inuidiæ nouus
Spretæ puellæ titulus accessit tibi.
Sed perge fastu ludere puellas tuo,
Perage triumphum, dure, crudelis, trucem,
Omnis puella te petat, nulla auferat;
Pensabit ista Nemesis, & penset, precor.
Aspiciat altum barbari fastum viri,
Vlciscere Dea; pessimo leto occubet.
Despecti amoris Hippolytus odium luat.
Vindex repulsæ turpis existat breui,
Furiasq; amantis famina, & spretæ ferat.

Apollo

Apollo προλογίζει ad ſeremiſſimam Reginam Elizabetham 1592.

Altus relinquens elara Woodſtochij iuga,
Venatione feſſus, ac damis ſatur,
Et iam necandis tempore exacto feris,
Meis reuiſo nobilem Muſis domum.
Sed vnde tanta ſedibus noſtris noua
Succeſſit hoſpes? ore quam ſeſe ferens?
Quæ celſitudo? quanta maieſtas adeſt?
Genus eſſe Diuum credo, nec vana eſt fides.
Tunè illa Eliſa, Nympha quam Syrinx ſuo
Tameſis ad vndas pulchricoma Pani edidit?
Tunè illa es, annos ante quæ bis iam decem
Et ſex, adiſtos prima veniſti lares?
Ipſam eſſe memini, priſtinum agnoſco decus.
Regina ſalue virgo, terrarum Dea,
Caliq́; cura, ſæculi, ac mundi ſtupor.
O ſingulare pectoris ſtudium tui!
Iterumnè tibi delubra Muſarum ſacra
Subire placuit? & tui, dignum tuo,
Vtinam abſolutum, adire monumentum Patris?
Bis hoſpes, & bis grata veniſti, mihi
Phœboq́, Gratiiſq́, Muſiſq́, omnibus.
Vtq́ aliqua merito gratia habeatur tuo,
Soccum Thalia comicum ornabit tibi.
Latare quæſo, Diua, ſceptriq́, inclyti
Repone pondus, & ſupercilium graue,
Iocoſa lætos Muſa tibi ludos dabit.

Pro-

Prologus in Bellum Grammaticale ad eandem sacram Maiestatem.

Accensa canimus prælia, ac Regum minas;
In, Diua, tantùm propitia nobis fauc,
O Principum, Regina, quot sunt optima,
Et quot fuerunt, quotq; venturis dehinc
Erunt in annis. nec tamen Tragœdiam
Ideò expauescas, bella quia canimus, dari.
Ridicula canimus bella, ridiculos Duces,
Grammatica nempè bella, grammaticos Duces.
Arma hìc, sine armis, vulnera hìc sine sanguine,
Sine cæde strages; sauci, sine vulnere;
Sine morte, cædes; turgida Regum minæ,
Sed nominales, atq; verbales minæ,
Futilesq; turbæ; scilicet quales dare
Rex nominalis, Rexq; verbalis solent,
Academica merè turgia, ac rixæ irritæ.
Nihil hìc erit reale, sed erunt omnia
Idolæ rerum, spectraq; ac larvæ leues.
Nam Marium cruenta cum Ranis fuit,
Tristisq; pugna; nullus hìc manat cruor,
Nisi forsan albus, quem fluere Superis sequunt.
Hìc sunt iocosa prælia, iocosi duces,
Hìc pugna, ludos; vulnera, cachinnos dabunt.
Vtinam illa suauem, Diua, tibi risum exprimant.

Prolo-

Epilogus in eandem Comœdiam ad Eandem.

Regina, gaude; fabulæ tandem exitus
Diu expetitus vênit. o patientiam,
Et sessionis penè martyrium tuæ!
Aures q; faciles, & oculos lo regiam
Humanitatem! tenè tam nimiùm diu,
Sceptro reposito, ac mole fortunæ tuæ,
Nostris vacare ludicris? tenè otium
Locare nobis? nullus vbi dulcis puer,
Nec vestis exquisita, nec symphonia.
Non histrionis Roscij hìc, vel discitur,
Vel ars docetur; nostra superant modum
Insciti a, nisi quòd non habet veniæ modum
Clementia tua. quò minùs nostro Gregi
Venia petenda est; lenitas nostrum tua
Iuuat pudorem, & sponte præuertit preces.
Perpetua nobis ista sit, precor, indoles,
Semperq; Elisam seruet incolumem Deus.

FINIS.